







Ferguson I. 364
Thorndyke VIII passim

not in Duveen, NUC

JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI,

Doctoris, & Philosophiæ Naturalis in Christian-Albertina Professoris Publici Ordinarii, Cæsareo-LEOPOLDINÆ Academiæ Collegæ Dicti Nestoris IIdi,

PIUM, CASTUM ET DEVOTUM PHILOSOPHIÆ ADEPTÆ ET THEOLOGIÆ ORTHODOXÆ OSCULUM,

i. e.

EXERCITATIO PHILOSOPHICO-MYSTICO-THEOLOGICA,

Qua
pio quodam Zelo
& studio
adumbratur & instituitur
ANALOGIA
Quorundam Mysteriorum Theologicorum,
Cum
LAPIDIS PHILOSOPHORUM
ARCANO MAGISTERIO.

HAMBURGI,
apud GOTTFRIED Liebezeit. 1696.

CORNELIUS AGRIPPA.

Cap. XXXVI. p.321.

Scientia & fides ſe non compatiuntur vel cohærent.

Fides non cadit ſub artem.

Sebaſt. Franck paradoxo CCXLI. pag.560.

Fulcimen verbi & veritatis non eſt homo caro.

Idem parad. CCLXXIX. p.674.

Per Illustri, Generosissimo & Excellentissimo Domino,

DN.

LUCÆ SCHRÖCKIO,

Cæsareæ Majestatis Archiatro, ejusque Personæ Imperialis Medico, Comiti Palatino Cæsar. & S. R. Imp. Nobili, Reipublicæ Augustanæ Physico digniss. Academiæ Naturæ Curiosorum Præsidi meritissimo,

PATRONO MAGNO.

Per-Illustri, Generosissimo & Amplissimo Domino,

DN. JOHANNI PAULO WURFFBAIN,

Archiatro & Comiti Palatino, Cæsareo Nobili, Reipublicæ Noribergensis Physico Consultissimo, & Academiæ Naturæ Curios. Ephemeridum Directori dignissimo,

PATRONO MAGNO.

Per-Illustri, Nobilissimo & Clarissimo Domino,

DN. CHRISTIANO FRANCISCO PAULLINO,

Comiti Palatino Cæsareo, Archiatro Isenacensi Sax. Consultissimo, Academ. Curiosor. Collegæ, dicto Arioni, dignissimo,

Collegæ, Fautori & Amico magno.

Nobilissimo, Excellentissimo & Clarissimo Domino,

DN.

JOHANNI DE MURALTO,

Physico Tigurinensi Celeberrimo, Practico Consultissimo, Felicissimo; Academico Curioso, dicto Aretæo, dignissimo, Amico & Fautori æstimatissimo.

Nobilissimo, Excellentissimo & Amplissimo Domino,

DN. EMANUELI KOENIG,

Professori Basileensi Famigeratissimo, Medico Consummatissimo, Academico Curioso, dicto Avicennæ, dignissimo, Amico, Fautori & Collegæ æviternum colendo, & instar pupillæ dilecto.

Nobilissimo, Excell. & Ampliss. Dn.

DN.

EPHRAIM FURSTENLOVIO,

M.D. Celeberrimo, Practico apud Gedanos Consultissimo, Felicissimo, Amico & Fautori suo integerrimo.

Hisce Magnis Reipublicæ nostræ Asclepiadeæ Atlantibus & Medicis consummatissimis

dat, dicat & dedicat

NESTOR II.



DEDICATIO.

SUa cuique voluntas & ſcientia idolum eſt: vel trahit unumquemque ſua voluptas. Ita rem ſe habere G. N. N. V. quotidiana experientia luculentum perbibet teſtimonium. Si etenim pauliſper in Bibliopoliis converſemur, tam varia ac multiplicia Scripta ac ingeniorum molimina oculis objiciuntur noſtris, non ſecus ac ſi in ampliſſimo florum omnis generis campo obambulemus. Iſtic radiat & coruſcat rutilanti ſuo colore Roſa, illic ſpectatorem albedine amœna in ſui admirationem rapit Lilium album; ibi Bellides colorum optimorum varietate perquam jucunda rident. Eodem modo oblectant, afficiunt animos noſtros iſta Magnorum Virorum Lucubrationum & Meditationum bellaria verè attica. Quod ſi oculos à Bibliopoliis ad Academiæ noſtræ LEOPOLDINÆ perilluſtre & Splendidisſimum Collegium (quo Sol,

si excipiam Christum cum suorum discipulorum Choro, à condito Mundo vix illustrius vel æque augustum aspexit) convertimus, quod præclarissimis Europæ ingeniis ornatum est; ibi non sine insigni animi voluptate; quomodo hic ingenii sui vires in scrutanda animalium natura experiatur; quomodo istum circa vegetabilia capiat & oblectet studium; & quomodo hic curas felices impendat in Mineralium familia, animadvertimus. Qui ingeniorum raptus & inclinationes ad omnigenæ Eruditionis cultum à Deo omnino dependent. Huc nostro arbitratu collimat illud Pauli Apostoli 1. Corinth. Cap. XII. scribentis: Divisiones donorum sunt, sed idem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & divisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Unicuique vero datur manifestatio Spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur Sermo Sapientiæ, alii verò Sermo Scientiæ, secundum eundem Spiritum, alii vero fides per eundem Spiritum, alii vero dona Sanationum per eundem Spiritum, alii vero efficaciæ potentiarum, alii vero prophetia, alii vero discretiones Spirituum, alii vero genera linguarum, alii vero interpretatio

linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, dividens peculiariter unicuique, ficuti vult. *Secundum hanc itaque distributionem donorum Spiritus Sancti homines quoque diversimode ad hoc vel illud studii genus rapiuntur, ac suas instituunt meditationes. Sunt & preterea rebus à DEO creatis tales innatæ illecebræ & veneres, quæ homines in sui admirationem & scrutationem trahunt & alliciunt; non mirum ergo tam diversa ab hominibus institui ingenii exercitia, ita ut totus Mundus aspectabilis nihil aliud sit quam Theatrum & palæstra, in qua homines sese exerceant, & quilibet de Naturæ pulchro (quod paucis cognitum, Fabro dicitur* purum Naturæ) *obtinendo nulli sudori, labori, gravissimæque molestiæ parcat.*

Deus quoque & mihi juxta bonitatem Misericordiamque suam, qua omnibus suis creaturis, cumprimis hominibus optime cupit favetque, aliquot ingenii largitus est talentum, quod quidem si mea respiciam peccata multo majus est quam ut dignus vel promeritus sim; Sin autem relate ad aliorum conferam, mediocritatis fato definitum & circumscriptum esse reperio. Feror autem innato instinctu maximoque desiderio ad Naturæ hujusque arcanorum, abditorumque recessuum

 scru-

scrutinium. Quum autem ægre vel & nulli ad istud palatium pateat aditus, nisi beneficio Chemiæ, non istius vulgaris, quam cinistones tractant & exercent, sed arcanioris, quam Spagyriam Hermeticam nuncupamus. Juxta cujus principia nostrum opus de Auro, quod Ovum Hermetico-Paracelsico-Trismegistum inscribitur, *conscripsimus. Ex eodem fonte fluit & manat hic noster tractatus, qui pium, castum & devotum Philosophiæ adeptæ & Theologiæ osculum appellatur. Animi nostri decretum est, aliquam inter Philosophiam adeptam & Theologiam Orthodoxam concordiam ostendere. Philosophiam autem hic sistimus tanquam ancillam, quæ suæ Dominæ Theologiæ osculum figit, verum osculum, quod primo pium est, quo agnoscit, quod Theologia timorem Dei doceat; Secundo castum, castus inter Philosophiam & Theologiam nexus est; Deniq; devotum, quo se submittit Theologiæ tanquam Dominæ, quo docemur, ita philosophandum esse, ut analogia fidei semper maneat salva, & quod ratio in mysteriis fidei sit captivanda, quousque autem ratio in Theologicis admittenda, docent Theologi nostrates, ea vel magis vel maxime quidam extra Ecclesiæ pomærium Doctores abutuntur, qua de re hic nullus fandi locus est. Cumprimis improbanda sunt illa crassa philosophiæ dogmata, quibus Theologiam*

mirum

mirum in modum adulterare annituntur pessimi duo Empectæ Hobbesius & Spinosa, *ultimus prorsus Satanæ mancipium est. Non satis demirari possum, qui fiat, quod nemo ex nostri Seculi Philosophis vel Theologis hujus Viri dogmatum confutationem aggrediatur*, Wittichius & Poiret *strenue quidem hoc Philosophiæ monstrum aggressi sunt, verum in quibusdam adhuc deficere claret.* Poiret *cumprimis hic palmam meretur, qui me hercle subtilissimus Philosophus. Præter hos & Spinosam refellere aggressus est in Germania* Clariss. Horchius, *qui investigationes VIII. circa origines rerum ex Deo contra* Benedictum Spinosam *publicavit, & cum erudito Orbe communicavit, verum istius Viri Scriptum quidem vidi, nondum vero ob negotiorum frequentiam perlegere licuit. Se è bivio in viam, osculum itaque devotum Philosophia Theologiæ dat, quo se submissam & humillimam Theologiæ pedissequam profitetur. Quonam itaque modo & pacto ista philosophiæ adeptæ & Theologiæ Orthodoxæ concordia instituenda sit, passim in hoc opusculo ac Postloquio monuimus. Spero itaq; Theologos mihi non vitio daturos, huncq; meum laborem pio zelo & amore susceptum sinistre interpretaturos esse. Nihil enim inest, ut mihi persuadeo, unde analogiæ fidei vel & orthodoxiæ injuria queat inferri, vel & quo hæresi aut errori alicui*

patrocinemur. Si tale quid præter opinionem inesset, quod invariatæ Augustanæ Confessioni adversaretur, non solum indictum vellem, verum & ultro vel & monitus palinodiam publice canerem.

Hoc itaque meum opus vobis, Per-Illustres, Generosissimi, Nobilissimi, Excellentissimi Domini dedicare placuit, cujus dedicationis causas aliquot gravis momenti habeo. Vos enim estis in Germania nostra, cumprimis in hoc LEOPOLDINO Collegio primæ Magnitudinis stellæ, & ita de Republica literaria tam præclare promeriti, ut merito quilibet vobis assurgat, vestra enim industria cum Erudito Orbe Eruditissima communicavit Scripta! Tu Generosissime & Magnifice Domine Præses præter eruditissima Scholia, quibus Doctissimorum Collegarum communicatis observationibus lucem affudisti, elegantissimum commentarium de Moscho conscripsisti, ut nihil nunc dicam de notis & annotamentis, quibus Excell. Helbigii Observationes illustrasti, ut itaque dignissimus sis Magni Dn. Volcameri Successor in Præsidis honorem. Statim à latere Generosissimi & Magnifici Domini Præsidis Te jungo Generosissime Domine Director, quam Spartam & optime ac dignissime ornas, tuoque calamo præter Observationes aureas & oppido raras, quibus nostræ Ephemerides se-

com-

commendant, iisque maximum pretium accedit edita fruimur elegantissima Salamandrologia Scripto curiosissimo & doctissimo. DEUS tanto virorum pari ejusmodi largiatur vires, iis majora dare queat, quæ nobis de vobis pollicemur. Tuq; Nobilissime Domine MURALTE *te quoque sistis inter Apollineæ nostræ artis lumina, nec inter ea ultimum mereris locum. Quantum enim tibi debeat Respublica literaria ob tuas Eruditissimas lucubrationes, quæ ego auro contra æstimo, dici non potest; ut nihil nunc dicam de tuis optimis Observationibus, quibus nostræ Ephemerides ornatæ & decoratæ sunt. Nec minorem laudem Tibi Reipublicæ literariæ & nostræ Academiæ* LEOPOLDINÆ *proceres debent Mi Nobilissime Domine* PAULLINE, *felicissime enim calamum tuum dedicasti in conscribendis commentariis de aliquot Animalibus & Vegetabilibus doctissimis, Tibique assurgit universum nostrum* LEOPOLDINUM *Athenæum ob singulares, quibus nostras Ephemerides locupletasti, Observationet. Tua Scripta Germanica taceo, quæ omnes Celebriores deprædicant, omnigenæ Tuæ Eruditionis luculentum dant testimonium. Præterea tuum institutum & laborem, quem impendisti in inveniendo & stabiliendo Collegio Historico, quo instituto nihil elegantius, cujusque instituti ele-*

gan-

gantia promeritus longe lateque supra mea & aliorum elogia evectus sis. Minime quoque & Te præteribo mi Nobilissime Domine AVICENNA, Tuum etenim studium nobis peperit, præter pulcherrimas observationes, quæ non secus ac pulcherrimi flores in horto nostrarum Ephemeridum præstantissimæ Eruditionis flagrantia ac multiplicis experientiæ fide maximum de se splendorem edunt, commentationem absolutissimam de tribus rerum sublunarium familiis dedit, ne aliorum nunc, quibus te posteris de meliori commendasti ac locum inter Eruditissimos nostræ ætatis Medicos tibi vindicasti mentionem faciam. Nec minus me obligatum sentio, Nobilissime Domine FÜRSTENLOVI Tui de meliori meminisse. Hactenus quidem publicis ingenii monumentis inter eos, qui horum famam optimam sustinent, nomen tuum non profiteris, magnæ autem atque omnigenæ Eruditionis Cornucopiæ te circumfluere, satis superque constat, iis enim rebus, quæ & Te immortalitati asserere, quibus & Rempublicam literariam tibi devincire queas, abundas, dummodo animum ad scribendum appelleres, diffusissimæ & felicissimæ praxeos negotia permitterent. Quare hæc vestra erga Rempublicam literariam merita expendens, vestrum Patrocinium in quod me indignum recepistis, æstimans; Tuumque favorem & amicitiam, qua me dignum tu-

um

um amicum æstimare dignatus es considerans, nec potui, nec volui negligere occasionem, qua publice contestarer, quanti vos & singulos faciam, quodq; instar pupillæ oculorum vos diligam, debitoq; honore prosequar. Et sane quod maximum huic meo operi Nominum Vestrorum incluta fama immortaliq; splendore autoritatem maximam conciliarem. Suscipite ergo Per Illustres Animæ hoc opusculum in vestram advocatiam contra Zoili livore atratos dentes, meque vestrum devotum Clientem defendite, & semper mei meorumque in bonum mementote! Valete! Florete! & Favete! qui sum & ero vester ad omnia obsequia & humanitatis officia paratissimus!

Kiliæ Anno 1695. die 6. Febr.

NESTOR II. Spagyriæ cultor.

PRÆFA-



PRÆFAMEN.



Onſtitueram quidem mecum jam aliquot annorum ſpatio nihil edere; ſiquidem me jam totum, omneque meum otium, quod vel functio mihi à Sereniſſimo demandata, qua nihil prius antiquiusque habeo, vel & diffuſiſſima per cymbriam praxis indulgent, ſibi duo illa opera, videlicet *Thaumatographia Microcoſmi*: & *Polymathia Univerſalis ex Eruditorum Epiſtolis colligenda* vendicant. Utriusq; brevem aliquam *Sciagraphiam* elapſo anno cum Erudito communicavi orbe, Deus etiam dabit ultimam manum utriqne imponere liceat. *Thaumatographiæ* partem hiſtoricam elaborandam ſibi ſumſit meus Filius *Petrus Johannes Chriſt-Fried-Reich Hannemann*. Poſtquam autem meas reculas perluſtrarem, hos duos tractatus, qui jam ſimul prodeunt, in earum inveni cu-

mulo

mulo, blattarum tinearumque morſui expoſita publico vindicare, lucique exponere placuit. Plura quidem opera in eo deliteſcunt luce digna, ſed nondum edam. Mearum Epiſtolarum centuriæ etiam jam ad prælum paratæ ſunt, neque & eas edam, antequam aliquot centuriis auctæ ſunt. Dabo etiam poſthac id operam quam enixe, aliique mei tractatus, quos promiſi, in Eruditorum manus veniant. Quantum autem ſudoris, laboris, oleique requirat *Polymathia* ex Epiſtolis colligenda, quilibet facile, cui Epiſtolarum Scriptorum copia & frequentia cognita eſt, & ultro confitebitur. Numerus Epiſtolarum Autorum in Romana lingua facile ſupergreditur triginta Decades, quorum Syllabum aliquando, D.V. edam. Ut nihil nunc dicam de iis, qui Gallica, Italica, Hiſpanica, Britannica, Græca, Germanica & Belgica lingua Epiſtolas conſcripſerunt, quorum & ingens numerus, prætereo etiam MS. Epiſtolarum Volumina, quæ in Bibliothecis adhuc deliteſcunt, cumq; blattis & tineis certant. Quorum quoque aliquot præter alios magnos viros, qui mihi promiſerunt,

ſerunt, mecum communicaturus eſt Excell. Dn. *Majus*, dignisſimus Morhofii noſtri ſucceſſor, amicus, fautor & collega honoratisſimus, *quem DEUS* in Academiæ noſtræ Decus diutisſime conſervet. Qui omnes mihi perlegendi ſunt, & ex iis transferenda, *quæ* ad *Polymathiam faciunt univerſalem.* Jam occupor in perlegendis *Petri Martyris* Epiſtolis: eſt ille, qui *Decades Oceaneas* conſcripſit; *Gaſſendi* & *Aretini*, *Poggii* & aliorum aliquot abſolvi.

Conſcripſi hoc opuſculum amore impulſus, quo erga Spagyriam ardeo. Incidi hiſce diebus in Spicilegium *Chriſtophori Arnoldi*, quod junctum eſt *Exercitationibus familiaribus Joh. Henrici Urſini de Zoroaſtre, Hermete Trismegiſto, Sanchoniathone Phœnicio*, illic pag. 26. §. IV. negatur Chymiam Moſi fuiſſe cognitam. Nos è contra *Moſi* fuiſſe notam chemiam, hoc loco probaturi ſumus. Jam omnino antea hoc quæſitum prolixè tractavimus in *noſtro opere de Auro* §. XII. p. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. &c. citat *Chriſtophorus Arnoldus* pro ſe *Joh. Prideaux* Con. *de Sapient. Ægyp.* in illud *Actor. VII. 22. Guilh. Soſſius* Lib. de *Numine Hiſt.* c. XLI. *Leon. Allat* in *Syntagm. de Engaſtrimytho* c. XX. *Jerem. Burrovighs*

of Mo-

of Moses Self denyall. p. 4. *Bochart*. in Phal. l. IV. c. I. Verum *primo* urgemus locum *Actor. VII. 22.* qui ita habet: *Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum, eratque potens factis & dictis.* Si nunc primo Philonis judicio standum: Ait enim *didicisse ab Ægyptiis Arithmeticam, Geometriam, Rhytmicam, Metricam, Harmonicamque Theoriam, & omnem Musicam: Tum & symbolicam Philosophiam, quam sacris libris describunt.* Quod attinet ad philosophiam symbolicam, quam sacris libris & quidem literis Sacerdotalibus, quas Hieroglyphicas vocant, describunt, autumo *fuisse Chemiam.* Et hæc dicitur Philosophia Symbolica duplici nomine, *primo*, quod occultet sua dogmata, ut *symbola* suum verum sensum. *Secundo*, dicitur *Symbolica*, quod Mundus certa habeat & ostendat symbola, quæ hanc artem docent & manifestant, sed suis, i. e. quibus Deus vult revelare, aliis occlusa manet. Ad sapientiæ Ægyptiacæ Systema pertinuit quoque Chemia. Quod autem Ægyptii Chemiæ fuerint periti, probat ille locus apud *Suidam*: *Quod Diocletianus libros à Veteribus de auri & argenti Chemia conquisitos*

 cre-

cremaverit, ne Ægyptii ex tali arte amplius sibi opes compararent, neve pecuniarum copia, Romanis imposterum obsisterent, quem locum mascule suæ veritati asseruit *Excell D. Borrichius* in sua *Medicina Hermetica*. Quid moverit Berchætum scribentem; *ita nugatur ignotus scriptor apud Suidam*: & concludit vano sermone hunc suum discursum idem *Bochartus*: *ac si tam fallaci arte potuerint tam copiose ditescere, ut Romanis inde fierent terribiles.* (I.) unde vult probare *Bochartus*, quod quidam ignotus autor inseruerit in *Suidam* hunc locum de concrematione librorum Chemicorum. Nos tamdiu hunc Suidæ locum authenticum & legitimum esse, absque ipso Suida scriptum credimus, & defendimus, quamdiu aliquis non contrarium evicerit. Et unde illa testimonia desumet, si excipiat præjudicia, & præconceptas opiniones, quibus hunc locum possit facere suspectum vel falsi arguere. Nominetur ignotus autor, nominetur tempus, quo inseruit, & occasio, & causa impulsiva, qua inseruit. Adducatur autor Suidæ coætaneus, qui hanc insertionem firmis probet testimoniis

hunc

hunc locum in Suidam esse insertum. Pugnat hic locus cum Theologia Orthodoxa, pugnat cum sana ratione, pugnat cum bonis moribus, quod tam fervide eum oppugnent, & è Suida sublatum velint. Nullum sane periculum. (II.) *Quomodo* hanc artem fallacem vocare potuerit *Bochartus*, etiam non capimus: Ars Chemica non est fallax, sed fallaces sunt ejus ignari, qui hasce Naturæ delitias illotis invadunt manibus. Cæterum hæc ars divina veritate & certitudine experientiæ suæ se commendat, & qui bona callet, hic tales opes, DEO annuente, beneficio Spagyriæ Hermeticæ obtinere potest, quibus facile inexhaustum thesaurum sibi comparare valet, quicquid etiam hujus osores ganniant. Quod *Moses* (2) Chemiæ perfectam notitiam habuerit, probat quoque calcinatio aurei vituli, de qua & *in nostro opere de auro* p. 43. actum est. Quæ calcinatio Magisterium Chemicum maximum est, quippe aurum igne calcinari vel in pulverem redigi non potest, licet

mille annos in validissimo igne ustularetur, citius transiret in vitream substantiam. Ita autem Moses calcinavit, in alcohol potabile transmutaretur, sicque in aquam fluentis missum à Judæis potari & bibi posset, sicque vel in vultu, vel in barba vel alias signum ederet, quo pessimæ istius apostasiæ autores ab aliis minus nocentibus, vel & innocentibus dignosci possent. Simplex auri tritura non ipsi adimit suam ponderositatem, quæ in fundum fluentis subsideret, & si hoc Moses intendisset, minime opus ignem adhiberet, tritus suffecisset, vel & limatura.

Sunt quoque qui lima comminutum, sed perperam, volunt. Alcahest auro commixtum absolvit hanc calcinationem Spagyricam in alcohol potabile. Quod alcahest solis adeptæ Professoribus, non cuilibet ciniflon, cognitum. Arbitratur nonnemo solis calore calcinationem esse peractam: Verum hac de re in Scripturæ Codice altum est silentium; tum & neque solis calor, utut vehementissimus, aurum

aurum calcinare poteſt, citius in vitrum converteret, ut docent ſpecula cauſtica. Concludimus itaque Moſi omnia myſteria chemiæ fuiſſe cognita & perſpecta. Horumque beneficio & *potens fuit factis*. Hæc pauca contra *Arnoldum* notaſſe ſufficiat. Quod autem olim Sapientiæ Chemiæ myſteria ſcrutati fuerint antiqui, probat locus *Euſebii* Græci chronici l.1.pag.43. quem citat *Bochartus* l.12.cap.1. *Phaleg.* pag.235. quem hinc è Græco translatum hic inſerimus: *Tum floruit Democritus Abderita Phyſicus Philoſophus in Ægypto initiatus ab Oſtante Medo, eo miſſo ut Ægypti ſacris præſideret in templo Memphitico cum aliis Sacerdotibus & Philoſophis. In quibus etiam erat Maria quædam Hebræa ſapiens; & Pammenes, qui per ambages ſcripſit de auro & argento & lapidibus & purpura. Quomodo etiam Maria. Qui proinde etiam ab Oſtante laudati ſunt, quod per multa eaq; docta ænigmata artem celaſſent.* Quem locum contra *Scaligerum defendimus* in noſtro opere de auro §. XX. p.116. usque ad pag.123.124. &c. *Bochartus* magis au-

toritate Scaligeri, quam veritatis testi-monio motus hunc locum quoque à *Panodoro Monacho* in *Eusebii* textum im-trusum credit. Verum probent hoc suum assertum *Scaliger* & *Bochartus*. Ego sane non capio, qui fiat, quod sublimior hæc Philosophia tam multis sudes sit in oculis, nostro arbitratu culpa vel causa contemptus rejiciendi est in sophisticam illam chemiam, cujus Professores Mundi magnatibus pessimè & frequentissimè imposue-runt. Minime tamen subscribimus *Martino Rulando*, *Medico Cæsareo*, qui artis illius mysteria ipsi Scripturæ præ-ferre non erubuit: *Si paulo*, inquit, *con-sentienter ratiocinari licebit, eminentior DEI notitia, ex hujus artis Alchymiæ pra-xi hauriri potest ipsis sacrarum literarum monumentis.* Quem locum adducit *Bo-chartus* h.l. Verum ille locus utut mini-me à nobis probetur, potest quodam-modo explicari, nihil absurdi statuat.

Quo-

Quod si quæstio sit de Dei notitia per Naturæ contemplationem, tunc negari non potest, per illam quoque Atheos convinci, hujusque respectu Chemiæ mystèria magnam lucem Theologiæ accendunt. Si autem quæstio sit de *Dei notitia per Scripturam hujusque Autores revelata*, ut qui ex inspiratione Spiritus Sancti scripserunt, tunc utique Scripturæ autoritas Mysteriorum Chemiæ autoritati præferenda est: Magisque adhærendum & Scripturæ Sacræ simpliciter credendum. *DEUS avertat!* ne à Scripturæ Sacræ, *quæ est Spiritus Sancti dictamen, & Eloquiorum Spiritus Sancti Systema, deflectamus, & purissimo DEI fonte relicto, ad putidas ingeniorum humaniorum lacunas divertamus.* Chemiæ Mysteria quidem adumbrant *Theologiæ aliquot articulos, ast testimonia apodictica promunt & proferunt Verbi Divini Pandectæ.* Mihi persuasissimum

 est,

eſt, *Rulandi mentem* non ſic eſſe interpretandum, ut verba allata ſonant. Verum pluribus hac de re fari non permittit inſtituti ratio. Quare concludimus hunc diſcurſum! Vale, fave L. B. & mecum adhæreto Verbo DEI!

Kiliæ Anno 95. *die* 9. *Febr.* ♄



PRODRO-



PRODROMUS THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

CAPUT I. Cap. I.

DE SCRUTINIO RERUM.



QVandoquidem cum hominis mente sic comparatum est illi sciendi desiderium sit iñatum. Illam autem Scientiam, vel potius istius desiderium extrinsecè fovet illa rerum contemplatio, quæ quotidie hominis speculationi objiciuntur. Oculus videt ubiq; tam admiranda naturæ phænomena, Auris audit naturæ Miracula, Gustus tam mille saporum percipit differentias, Olfactus pascit se in Odorum fragrantia, & fœtorum aversatur ingruentiam, Tactus etiam mo- Scientiæ desiderium.

vetur in ipsum incidentibus rebus, quæ vel illi blandam titillationem, aut etiam dolorum cruciatus afferunt. Hæc sunt illæ, quæ dicimus Physica; * horum omnium causas indicare, & aliqnam æthiologiam eruere docet Scientia Physica. Hanc nonnulli sic tractant, ut vel in nuda contemplatione naturæ persistant: vel etiam presse sequantur, quæ per traditiones Aristotelis aliorumque Philosophorum tradita sunt, neque ab his vel latum unguem discedunt; & iis, quibus hæc sordent, naturaque naturam intimius accuratiusque cognoscere, movent lites, controversiarumque semina, multa inutilia problemata proponendo, serunt, unde illico in iis enodandis, contemplationibus incumbenti menti pessima injicitur remora, quominus in eruenda rerum æthiologia quid conari possit laudabile. Omnis hujus mali origo est hactenus usitata Logica, ** quæ non viam

Multorum studium sufflaminat invidia, quo vitio cõplures docti æstuant.

* Physica docet rerum causas, & qui Physicam discit; hic causarum scrutinio incumbit. Et quemadmodum erubescet JCtus sine legibus loqui, sic & Philosophus sine rationibus. Optimam Physicam docet Natura, non Aristotelis Scripta, quæ sunt causa, sine qua non.

** Peripateticorum Vulgaris Logica exiguum usum habet. Cæterum Logica suam meretur laudem, nec ea carere quimus.

viam aperuit ad naturæ Mysteria scrutanda, verum potius impedimento fuit. Et quidem hoc modo. Primo finxit prædicamentorum Scalas, & hæc statuuntur Decem, his decem prædicamentis omnia entia naturalia, imo & spiritualia alligant. Qui autem hic aliter sentit, est anathema. Hæcque sua dogmata, ut tanto firmiori inniterentur talo, nec quisquam facile contra ea disputare præsumeret, munierunt hoc præcepto, vel mandato sive clausula. *Contra principia disputans fustibus excipiendus.* a) Et sic successu temporis hanc suam Tyrannidem in scholas, quæ debebant esse quoad naturalia docenda liberæ Doctrinæ, introduxerunt. Sicque hæc principia obtruserunt & huc usque per tot secula fuere propugnata.

Hinc factum ut interdum ingenia libera, quibus contigit Divinitus aliqua ingenii acies, suæ libertati renunciarunt, & in recepta principia consentire oportuit, sin minus pro Novatoribus habiti. (2) Omne quod natura adhuc aperte docere videretur quo posset fieri, falsitas istorum principiorum patesceret, Disputationibus & polemicis Disserta- *Inutilia scrutandi vita teritur.*

a) Principiis non obloquendum, quæ Scripturæ Sacræ Codex, & naturæ liber, & Experientiæ fides dictitant.

ſertationibus involverint, antequam autem ſe ex iis expedirent, vitæ curriculum fuit abſolutum, & ex hac mortalitate demigrandum. Fuit itaque per tot ſecula in ſcholis mera Tyrannis, *b*) contra quam nemo hiſcere auſus. Hæc Tyrannis adhuc quodammodo tolerari potuiſſet, niſi per eam veterum philoſophorum ſcripta fuiſſent oppreſſa, aut quæ adhuc remanſerunt in aniles fabulas haberemus mutata; Et viam Regiam ad naturæ myſteria ſcrutanda non obſtruxiſſent. Et quod omnium peſſimum falcem ſuam in Theologiam immiſerunt. Hoc autem tempore nox illa, vel potius tenebrarum Regimen, in quo ſuppreſſa jacuit, Philoſophia magis magisque diminui, & luceſcere videtur. Aurora imminet, ut ut adhuc multi veterno priſtinæ Tyrannidis ſopiti cœcutiant in hac auroræ luce, Philoſophiæ Artisque Medicæ. Hanc autem facem primo accendit Chemia, quæ nunc caput quam maxime effert. Hæc autem à nobis ſtatuitur

Alia Philoſophiæ facies jam elucet per experimenta.

b) Tyrannis in Schola Ariſtotelica, quam & Theologiæ imperare quidam voluerunt, ac ex ea Theologiæ dogmata confirmare infauſto conatu tentarunt. Vide Cornel. Agrippæ Apologiæ cap. XXXVI. pag. 321.

tur Duplex, altera, quæ rerum naturalium analysi, altera, quæ Hermeticæ Spagyriæ incumbit. Utraque est donum Gloriosissimi Dei, & pandora omnis terrenæ felicitatis, & sapientiæ exercitium.

Chemia duplex.

CAPUT II.

Cap. II.

DE
PRINCIPIIS SPAGYRIÆ HERMETICÆ.

NE autem forsan sibi quis persuadeat hanc Spagyriam Hermeticam sic fortuito fuisse inventam, nullisque omnino inniti principiis, aut ullum in natura habere fundamentum, pretium operæ arbitramur, paucis de istius artis principiis hic disserere. Principium autem ejus cognitionis statuimus (1) Revelationem Divinam, (2) Naturæ Dictamen, (3) Empiriam, (4) Traditiones Veterum. Quod vero ad primum attinet: Est *Revelatio Divina*, illam autem ad hanc Spagyriam tradendam tanquam principium principale concurrere multa videntur evincere. Cumprimis evincit hoc ipsum artis origo, illa enim nullibi à quopiam tradi-

Principia Chemiæ.

Revelatio primum Chemiæ principium.

traditur, nisi quod communis sit opinio, veteres Ægyptios hanc artem exercuisse, suisque literis hieroglyphicis, ne ad eam cuivis pateret accessus, designasse.

Inter Ægyptios *c)* in hac arte præ aliis excelluisse creditur Hermes Trismegistus, Sacerdos vel Vulcani Mysta (de cujus viri scriptis pauca adhuc fragmenta supersunt. Viginti quatuor libros ab hoc authore scriptos Oriente adhucdum extare Ali Puli Arabis, quem edidit *Otto Helbigius* ille fictitius Adeptus, aut si mavis, *redivivus Kellerus*, commentum est) (felicius autem forsan figmentum est de libris Esdræ, quos adhuc Numero 70. An. 1635. in Arabia Idiomate Syriaco, sed literis Samaritanis, scriptos exstitisse. *Johannes Picus Mirandulanus Florentinus Epistola ad Marsilium Ficinum* p. 249. scribit, sibi esse *libros Esdræ* Chaldaice exaratos. Verum transeat.) Veteres Ægyptios Chrysopœiam calluisse ex historia Suidæ est notorium. Hancque Chrysopœiam istorum Hieroglyphicorum esse arcanum arcanissimum sensum docet fabula

Libri Esdræ.

c) Ægyptii excelluerunt in omnigenæ artium & scientiarum Eruditionis genere, hincque ad alias gentes promanarunt artes & scientiæ.

bula de Iside, de Osiride & Typhone: ne nunc alia adducamus, Unde autem Ægyptii *d*) hanc artem primo acceperint, non immerito quæritur? posset videri *à Cham*, dicitur enim in scriptura, præcipue in Psalmis *Terra Cham*. Verum enim verò non credibile est, hanc Divinam artem intellexisse tam improbum hominem, tantique sceleris, scilicet contemptus in parentem Noah reum. Multo minus credere possumus gentem Ægyptiam Idololatriæ crimine impuram hoc scivisse opus. Nostro arbitratu, omnium primo per accessum Patriarcharum *e*) in Ægyptum hanc artem unicuidam familiæ ad Deum conversæ à Patriarchis fuisse communicatam, post & aliis innotuisse; Patriarchæ habuerunt per revelationem, cum Deo enim ipsis frequentissimum fuisse colloquium, testis est Scriptura. Postquam autem Deus tantum arcanum revelasset, etiam naturam (ut ex cujus Gazophylazio materia, ex qua artificium suum facerent desumenda,) diligenter scrutati sunt: Et videbatur suis operibus viam, qua proceden-

d) Ægyptii hanc artem non à Cham accepe-runt, sed potius à Jacobo patriarcha.

e) Patriarchæ docuerunt Ægyptios, hi immediate à Deo.

cedendum demonstrare eatenus potest dici Naturæ dictamen. Illud autem naturæ dictamen cumprimis fundatur in rerum genesi & analysi. Illa autem Genesis vel respicit animalium propagationem, plantarum germinationem, vel quoque Metallorum vel Mineralium in Terræ utero (Metalla tractavit Tubalcaim) concretionem. Cumq; hac triplici rerum genesi symbolizat Chrysopœia. Ex hoc principio dicunt Adepti, quod illorum lapis sit vegetabilis, quoniam sic crescit & augmentatur instar plantæ &c. Et animalis, quemadmodum hoc ex spermate & sanguine menstruo, ut illi volunt, generatur, sic & hoc Magisterium ex Sulphure & Argento vivo, (intellige utrumque philosophice.) Eruditè hoc ipsum quidam autor in collectaneis Chymicis cap. XIII. l. 3. p. 77. explicat. Autoris nomen non indicamus. Mineralis duplici jure quoque dicitur, 1) ratione materiæ, hæc enim est fossilis, sed indiget præparatione philosophica, antequam apta huic operi: 2) ratione operationis, hæc enim, prævio labore præparationis, in omnibus naturam ejusq; actionem sequitur. Non aliter ergo concludere possumus, quam quod sit dicta-

Naturæ dictamē, in quo consistat

Quomodo Lapis vegetabilis, animalis & mineralis.

dictamen Naturæ; huic enim in pluri-mis analoga est præparatio Magni hu-jus Elixiris. 3.) *Empiria, f*) hujus etiam vestigiis philosophos insistere, necesse; nisi enim ea manu quasi duceret ad na-turam, nihil efficerent; Deus etenim quidem revelat, verum non secundum omnes circumstantias vel ceremonias, quas observare apprime opus; itaque Empiria facem accendit: Nullum quo-que usum haberet Dictamen Naturæ, nisi *Empiri* adesset. Empiria autem il-la duplex, *altera* quæ respicit in genere naturæ operationē, quam imitari debet Philosophus: *Altera*, quæ respicit ipsos labores Chemicos; nisi hic aliqua lux Empiriæ luceret, frustra laborarent Phi-losophi. Proinde Empiria vera prove-nit ex diligenti naturæ scrutinio, & con-tinuis laboribus chymicis. 4.) *Tradi-tiones*, hæ nunc vel fundantur in collo-quiis cum istius artis hominibus gnaris, qui hic doceant facienda, & fugienda; hoc pacto multos Philosophos hoc ar-canum didicisse, compertum. Vel sunt libri de hoc aureo conscripti vellere, il-lorum ingens exstat copia; Verum e-

Empiria duplex.

Empiriæ origo.

Traditi-ones.

C nim

f) Empiria rerum omnium magistra felicissi-ma & fidelissima: Tantum scimus & in-telligimus in Philosophia, & Medicina; quantum experientia compertum est;

nim verò nemo tam argus vel lynceus, qui ex iis hoc arcanum possit haurire. Cumprimis si non vera Diagnosis inter veros Philosophos & Sophistas fuerit cognita. Veri Adepti arcanum hoc involvunt ænigmaticis locutionibus, quarum nodum nemo, nisi annuat Deus, solvet. Sophistæ multos falsos fraudulentosque habent processus, quibus ne mica quidem salis inest; Illi enim suos consarcinant libros ex male intellectis Adeptorum scriptis. g) Omnes enim illas allegorias de Cœlo, Macrocosmo, & Microcosmo; de Vegetabilibus accipiunt, & interpretantur prout verba sonant. Hujus erroneæ semitæ vestigiis insistentes, & alios seducunt inque devia abripiunt. Hacque falsa interpretatione quidam moti labores susceperunt arduos in sanguine, spermate, (quod grande nefas) stercore, capillis, muco, ossibus, mumia. Vel in Vegetabilibus desudarunt, ut sunt Herba Kali, Mercurialis, Chelidonia &c. Alii Venenata animalia, bufones, Crocodilos, Salamandram, Araneas, Cantharides ad hoc elegerunt opus. Quidam in Metallis, Auro, Argento,

Adepti quomodo occultant.

Quam inanes bores susceperint

g) Sophistæ qui? & hi multum de sua Sophistica arte blaterant & garriunt; sunt fucc segnes.

gento, Cupro, Ferro, Stanno, Plumbo, Argento vivo desudarunt, sed longissime aberrarunt à scopo. Alii alia Mineralia & Fossilia Vulcani anatomæ subjecerunt, verum præter fumum nihil omnino obtinuerunt, Æthiopem lavarunt. In omnibus autem nihil est, quod ad scopum facit, vel ex quo possit parari ejusmodi Divinum Magisterium. Quod autem autores hic hallucinentur, nulla alia causa est, quod non ad DEUM autorem omnis boni confugiant, neque naturæ dictamen, aut veram Experientiæ legem sequantur, nec bonos volunt autores, quosque habeant Duces comitesque.

Error illorum unde.

CAPUT III.

Cap. III.

DE *ELEMENTIS MAGISTERII PHILOSOPHICI.*

EX nihilo nihil fieri est quidem *Aristotelis* dictum, proprie vero naturæ ipsius dictamen. Natura ex Nihilo nihil omnino educere valet; verum ad corporum genesin certam aliquam requirit materiam, non quamlibet, sed propinquam & adæquatam, lo-

Ex nihilo nihil fit.

Generatio univoca & æquivoca.

quimur autem hic de *univoca*, non *æquivoca* rerum genesi, ista propinquam poscit, illa etiam ex remota corpus formare potest. Quemadmodum ex *Leone apes*. Quod naturæ denegatum, & hoc in artis, ut quæ naturam imitatur, non est potentia, scilicet quod possit aliquid ex nihilo creare. *Spagyria Hermetica* novit Metalla ignobiliora in nobilissimum aurum naturali multis modis præstantius mutare. Ad illud autem opus aliquam requirit materiam & quidem adæquatam, quæ potest haberi. *b*) Quænam illa sit, in hoc puncto omnes Adepti quidem concordes sunt, non omnibus tamen eam conscribendi eadem est consuetudo, id etiam omnes dant operam, quomodo possint abscondere & occultare, hinc tam multiplex nomenclatura, qua eam materiam nominant, nata, sexcenta nomina sunt materiæ, nihilominus in hoc prolixo munere vix duo concurrunt vocabula, quæ scapham scapham nominant. Aliqui ex recentioribus Philosophis aliis novis terminis incrustant artificium, ut si non aliter, tamen in hoc

h) Materiam suam occultant adepti & merito. Majorana inquit, sus, ego tibi non spiro.

hoc videantur docti, artisque gnari. Imo interdum tales fingunt terminos, quos ipsi neque intelligunt, multo minus ab aliis intelliguntur. Istius furfuris est vocabulum Tessa, quod jam novissime finxit quidã putatitius Adeptus, vocabuli istius natalem quidam eruditus Vir ex Arabica adsciscit, sed malè. Buccinatores in sua secunda Epistola latinæ originis & statuunt esse declinabile. *Tessa, Tessæ, Tessæ, Tessam* &c. i. e. Essentia salivæ. Jejunus Helbigii defensor arabicam derivationem improbat, sed quo jure vel injuria ipse videat. Est terminus fictus nullius notæ linguæ vocabulum: Hoc autem minime in isto autore præterire possumus, quod tam sinistrè de *Isaaco Hollando* judicet, causa hujus sinistri judicii, quod non intelligat. Eandem virgulam censoriam meretur *Helbigius* male de, *Turba* Philosophorum judicans. *i*) Quos si intelligeret honestius de iis loqueretur & hoc ipso prodit, sacra chrysopœæ ipsi esse incognita. Haud etiam in aulis viveret, si esset ex vero Hermeticorum *k*) numero, hi enim homines omnia illa fugi-

Tessa quid.?

Terminus fict?.

i) Helbigius ignorat sacra ChrysopϾ, utut alias magnus sit Philosophus.

k) Hermeticorum mos, sicque & cum impiis Mundiq; mancipiis nullum habent commercium.

fugiunt & deteſtantur, quæ vel animum inani gloria, vel carnem laſciva illicitaque voluptate titillant. Quidnam quæſo movit Helbigium, ſeſe lubricæ committeret aulæ, & degere eligeret inter paraſitos, gnathones, voluptuarios, carnaleſque homines, cum tantam à Deo obtinuiſſet domum, utpote Chryſopœæ notitiam *l*). Hocque typho impulſus fratribus Roſeæ Crucis quædam propoſuit problemata, vice officioque Fratrum functi ſunt *Buccinatores*, & quædam ad propoſita quæſita reſponderunt in ſua *Epiſtola ſecunda Buccinatoria*. An autem hoc reſponſo contentus ſit *Helbigius* tempus docebit. Sed revertor ad elementa operis, *m*) illa autem ab adeptis dicuntur eſſe *ſulphur* & *Argentum vivum*, ſiccum & humidum, Fixum & volatile, Marem & Fœminam, rubrum Judæum, & aquam maris Caſpii, duos fumos, Bufonem in terra gradentem & aquilam in aëre volantem, quæ catena bufoni alligata. Terram & aquam, Aërem & Ignem, Salem, Sulphur & Mercurium. Rubrum ſervum

l) Quædam aulæ malæ, quædam è contra Pietatis, Juſtitiæ & Virtutum, & elegantiarum literarum officinæ.

m) Elementa Lapidis partim verè, partim allegoricè hic delineantur.

vum & Candidam virginem, Hyle, Chaos,&c. nominant & suam Chelidoniam, Portulacam, Herbam Mercurialem. Ex Metallis dicunt esse Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, Solem, Lunam & Mercurium. Vel Vitriolum, vel Arsenicum, Auripigmentum, Bismuthum, Antimonium, Terram Rubram sigillatam &c. Qui vult fieri Philosophiæ Adeptæ studiosus, *n)* Autor ei sum, nocturna diurnaque manu volvat Bibliorum Codicem, ut primo se ex eo ædificet ad veram Christianam vitam. Cui jungat Tabulam Smaragdinam Hermetis, in qua summa rei sic expressa, ut facile quis ea intelligat arcana naturæque Mysteria. Summatim ad hoc opus requiruntur ♁. ♃. ⊖. ∺. ⁜. ▽. 🜃. △. ☉. ☾. ☿. Sine his omnibus nullo excepto opus philosophicum parari non potest. Et qui hæc non adhibet, frustra laborat, & littus arat. Hæc verò dupliciter consideranda, *o)* alia principaliora, alia minus principalia sunt corpora, alia duntaxat præparantia. Principaliora sunt illa, quæ in se corpus, Spiritum & animam ample-

n) Consilium, quomodo adepta Philosophia addiscenda.

o) Duplicia Elementa vel vera, vel præparantia.

ctuntur, & ex quibus hæc tria sic possunt educi. Primo per modum reductionis. *Nota*: in vera Chemia semper præcedit (prævia unione masculi & fœminæ) *Reductio* eductionem. In sophistica sua sophistæ omnium primo conantur educere Ens primum Lapidis, antequam reducant. Sicque laborant in ☿ vulgi, *p*) inque ipso scrutando, & hoc polymorpho eviscerando, aliquot Thalerorum millia in fumum redigunt. Sicque ipsis hic ☿ aciem ingeniorum subtilissimam obtundens, manumque expertissimam hic vertumnus animo effugit. Ut autem *Reductionis Mysterium* porro delineemus. Necesse est illa *Reductio* singulari peragatur modo. Cujus diagnostica principalissima dicuntur esse, *Aquila* in aëre volans secum in sublime quoque attollat *bufonem*, eumque faciat volatilem. Duos fumos in unum indissolubile concentret, & *corpus vel album, vel purpureum*. Clavis autem hujus reductionis est illud Philosophorum *Azoth* *q*). Hoc potens est mutare Elementa, & quidem hoc modo:

Reductionis Mysterium.

(1) *Terra*

p) Mercurius vulgi, qui protheus, & magnum Naturæ miraculum & cista innumerabilium medicaminum.

q) Azoth. De quo videsis nostrum opus de Auro p. 39. 45. &c.

(1) *Terra fiat* aqua, vel in aquam transmutetur, huc intendunt digitum Philosophi dicentes, siccum fac humidum, & hic est primus gradus Reductionis. (2) *Quando Terra* sic conversa est in aquam, dicitur fixum factum esse volatile, sicq; terra etiam vertitur in aërem, hicque esto secundus Reductionis gradus, duobus gradibus Reductionis emensis, tum demum succedit vera Eductio *Azoth* completi. Et antequam hoc completum habeat Azoth variæ colorationes Gabritii & Bejæ, vel Isidis & Osiridis evenient. Rufus juvenis impallescit in coitu cum *Beja*, Typhon quippe utrique struit insidias, hæque insidiæ tam potentes sunt, ut amœno suo colore Gabritius privetur, & Beja, nisi blanditiis venenisque illecebris, hæc etiam hujus copulæ nexum firmare studet, involveretur, & detineretur, etiam aufugeret. Ista autem aufugiente, *Gabritius* purpura sua exutus miserrimum suum statum deploraret, & nisi Vulcanus ejus misertus purpuram redderet, in æternum pallidus maneret. Placandus itaque est Typhon, ne nimium in novellos conjugii candidatos, ex exelo corde Gabritii, hoc enim illico illi juncta, Beja invadit, moriatur.

Primus gradus Reductionis.

Secund9 gradus Reductionis.

Vera Eductio.

Quomodo Typhon placandus.

Quando autem in hoc blando conjugio foventur per reductionis Mysterium, alter alterius naturam, indolem & genium induit, priusquam verò hæc finiatur comœdia cuncta videntur quid Tragici minari: pallori Gabricii succedit nigredo, non obstante, quod habitent sub Zona temperata, & conjugium suum ineant tempore hyberno. Hæc nigredo diu durat, donec totus *Gabritius* in cinerem sit solutus, inq; cinerem solutus sic sese cum *Beja* incorporat, ut cum ea per aëra volitet, neque unquam in terram reverteretur, nisi secundæ regionis aëris vel Atmosphæræ frigus hoc volatiles conjuges præcipitaret, qua præcipitatione sæpius reiterata, ad quemlibet etenim furoris Vulcani paroxismum avolare nituntur, totidemque in eis emergunt colores diversi, sunt autem magis intentionales, quam reales, quorum propriè ratio non habenda. An auté Sophista *r*) hæc sibi de ☿ vulgi & ☉ vulgi promittere queat, utut ea duo Aquis Stygiis macerent, longissime tamen aberrant à scopo; Hæc de Elementis Magisterii dixisse sufficiat.

Colores sibi invicem succedentes.

non sunt veri colores.

r) Sophistarum labor in auro & Mercurio vulgi.

CAPUT

CAPUT IV. Cap. IV.

DE

ANALOGIA OPERUM MAGISTERII PHILOSOPHICI CUM CREATIONE UNIVERSI, ALISQVE THEOLOGIÆ MYSTERIIS.

QVandoquidem attenta mente, perlegi recensum vel historiam Creationis mundi & plasmationis hominis, s) reperi in hoc ipso recensu tantam inter creationis mundi plasmationisque hominis historiam, & operis philosophici confectionem, analogiam, ut omnino ab animo meo impetrare non potuerim otium vel requiem, quin actutum hæc mentis cogitata, utut non satis digesta, in chartam hanc transtulerim, monumentoque chartaceo demandaverim. Historia, Creationis, etsi Mysteriis ineffabilibus captumque humanum longe superantibus referta sit, & Omnipotentiæ divinæ vestigia ostendat luculenta; tria præprimis habet, t) quæ Magisterio philo-

s) Analogia operis philosophici cum creatione Macrocosmi & Microcosmi.

t) Tria insunt creationi, quæ cum opere conveniunt.

philoſophico congruere & convenire, vel quadantenus referre videatur. I. Creatio ex informi maſſa, quæ immediate ſubſequebatur Creationem ex nihilo. II. Aquarum & tenebrarum confuſio. III. Aquarum ſupra cœleſtium à ſublunarium ſyſtemate ſeparatio. In hiſtoria plaſmationis hominis duo exprimunt arcanum arcaniſſimum. 1) Eſt illa formatio Machinæ corporis Adami. 2) Eſt inſpiratio ſpiraculi vitarum. Præter hæc creationis Myſteria etiam alia Myſteria in Theologia concurrunt, quæ & lucem accendunt operi vel Magiſterio Philoſophico. Ut ſunt *a*) Myſterium SS. Trinitatis. *b*) Myſterium incarnationis DEI. *c*) Partus virgineus. *d*) Reſurrectio Chriſti, ejusdemque aſcenſio in Cœlum, reditusque in Terram ad judicandum vivos & mortuos. *e*) Reſurrectionis mortuorum reunionisque animæ cum corpore. Denique *f*) Regenerationis hominis, quod arcanũ quaſi in imagine vel effigie vivis coloribus delineatum ſiſtit. Quomodo cum iis Magiſterium Philoſophicum ſymbolizet, breviter hoc capite & ſubſequentibus explicaturi ſumus. Initium ab ipſa faciemus creatione, & illam autem

Creationis ordo.

Adami plaſmatio.

Myſteria Theologiæ ſublimiora.

Summa operis

tem ex nihilo fuiſſe factam, ex dictamine Spiritus Sancti Orthodoxi Theologi & Chriſtiani philoſophi uno fatentur ore. Proinde & illis creatio eſt talis actio, qua ex nihilo aliquid creatur. Cum illa opus Philoſophorum nullam omnino habet analogiam; Magiſterium Philoſophicum certam aliquam, in qua laboret, & ex qua educat, & in quam inducat animam, requirit materiam. Creatio fit ex puro puto nihilo entitativo, quod revera nihil eſt, neque ſubſtantiam neque exiſtentiam habet. In hoc autem convenit cum Creatione Magiſterium Philoſophicum, nam quemadmodum ex *nihilo Entitativo* Mundi & Terræ ſyſtema creavit: ſic & hoc ſuum Cœli Philoſophici & Terræ Philoſophicæ ſyſtema facit (dico, facit) ex *nihilo apprehenſivo.* Vocabuli iſtius differentem ſignificationem ſatis cognitam habent Philoſophi. Ideo nihil hic de ea monebimus. Quando autem Sacer textus inquit, fuiſſe inane & vacuum, dominaſſe tenebras, ſpiritum incubuiſſe aquis &c. Illa optime quadrant Magiſterio philoſophico, ſicuti hoc ipſum ex contextu fiet palam. Moſes, *u)* qui hanc hiſtoriam conſcripſit

Creatio quid.

Creationis ratio formalis.

Nihilum Entitativum.

Nihilum apprehenſivũ.

u) Omnia Scripta Moſis fluxerunt ex dictamine

psit an ex traditione Patrum, vel immediatè ex dictamine Spiritus Sancti? Posterius verum; hoc loco non disquiremus, inquit fuisse inane & vacuum: Philosophiæ Adeptæ Professores idem dicunt de sua materia, quod sit inanis & vacua; x) hinc & Chaos Hyleque iis nominatur, compertum quoque est; quod si materiam eam videamus, illa videtur tam inanis tamque vacua, ut potius abjectæ judicetur sortis, quam ut sit tanti arcani arcanissimi principium; damnarunt & eam Philosophi ad sterquilinium, propter informem deformemque suum aspectum. Vacua recte dicitur materia philosophica, quoniam nihil videtur obtinere Entitatis; juxta quam possit alicui enti physico assimulari; habet quidem existentiam & subsistentiam, sed non in actu formali aut differentiali, sed duntaxat in actu Entitativo, in quo Physici materiam substantiæ corporeæ collocant; imo & in pluribus notis & proprietatibus materiæ physicæ similis est. Nulla ei forma certa, qua possit dici similis alicui corpori Elementato, imò ne quidem alicujus elementi formam

Materia deformis

Materia informis

vel

mine Spiritus Sancti, hic & Scriptorum omnium antiquissimus.

x) Inane & vacuum in opere philosophico.

vel similitudinem habet. Et quemadmodum cera omnis sigilli impressionem prompte suscipit, & eadem facilitate hoc sigillum in ea obliteratur, ut nullum ejus vestigium remaneat, sic & Materia philosophica est quasi Protheus, omnem formam suscipit, & æque facile eam rursum deponit. Apparet etiam vestigium in aëre aquilæ per eum volantis: Eodem modo vestigium formæ in Materia Philosophica obliteratæ exoritur. Verum quemadmodum hoc inane Mosaicum omnia illa futura, quæ systema Mundi essent absolutura, in sinu suo complectebatur, & tandem ex eo jussu Dei, vel omnipotenti suo fiat, prodibant in conspectum Angelorum & hominum; sic etiam eadem omnipotentis Dei, Fiat! (*est enim Dei & naturæ opus*) ex inani & vacuo Philosophico prodit id, quod (annuente Deo!) in sinistram divitias Regias Salomoneasque, in dextram manum sapientiam & corporis sanitatem juncta longævitate admetitur. *Alterum punctum y)* in creationis mysterio fuit tenebrarum dominium, iis autem dominan-

Comparatio cũ cera.

Quænã suo possessori largiatur L. p.

y) Tenebræ vel caligo Philosophorum est nigrum nigrius nigerrimum dicitur, etiam nox philosophica. Pl. vide cap. IX. catenis chemici.

nantibus omnis rerum differentia extrinseca quoque sublata est, hic autem adhuc in tenebris Mosaicis non fuit differentiæ rerum privatio, sed omnimoda absentia, erat confusum chaos; cum hoc puncto etiam omnium primo apparent tenebræ, quæ dicuntur caput Corvi. In hoc autem philosophicæ tenebræ differunt à Mosaicis, quod in iis duorum Entium differentiæ privatio fuerit facta, in tenebris Mosaicis nulla privatio (habitus enim præcedit privationem,) facta, verum fuit entitativa absentia. In *Tenebris Philosophicis* & privatio & absentia omnimoda simul; quippe privatio scilicet differentia realis duorum entium adest, in hoc puncto differt à Mosaicis: sed in isto convenit, quod sit etiam absentia futurorum, non quidem entitativa, ut in Mosaicis; sed apprehensiva. Hæc in Mosaicis requirit concursum omnipotentis; ista influxum naturæ DEI benedictione animatum. *Tertium punctum*, quo cum Magisterium comparamus philosophicum, est, quod Spiritus (non disputabimus hoc loco, an fuerit Spiritus Sanctus Tertia Deitatis persona, vel Mundi Archæus?) incubuerit aquis (non secus ac *gallina ovis*, ajunt Theologi

Caput corvi.

Tenebræ Philosophicæ.

Tertium punctum

Spiritus super aquas.

logi pulchrè & piè) vel ut alii legunt, sese moverit super aquarum abyssum. Hoc itidem quadrare cum Magisterio Philosophico, ex subsequenti discursu patebit. *Duo* etenim agens & patiens dicuntur absolvere materiam lapidis philosophici, patiens assimulatur fœminæ, agens Masculo. Agens Gallinæ ovis incubanti, patiens ovo. Patiens in operæ creationis est aquarum abyssus, agens Mundi archæus. Eodem modo & illi materiei, quæ ad Magisterium philosophicum requiritur, inest quædam vis agens. Ad hujus comparationis illustrationem afferemus huc verba, quæ leguntur apud quendam magni nominis Philosophum. *Dicimus*, inquit, *de Sulphure & Mercurio sophorum in operibus naturæ, quoniam Sulphur philosophicum non est agens principale, sed virtus occulta existens in ipso, moderante calore naturæ & digerente, est principale agens intrinsecum cum corporibus cælestibus, & movet sulphur philosophicum cum calore suo sicut instrumentum, sulphur autem movet Mercurium philosophorum tanquam materiam sibi propriam ad generationem, eo motu, quo movetur ab agentibus primis.* Similiter in operibus ejusdem naturæ mensuratis ab arte, quia anima

Agens & patiens in opere philosophico.

Sulphur & Mercurius.

Agens principale.

anima artificis, in qua est species & scientia, est principale agens extrinsecum, & movet virtutem naturalem digestivam, & liquefactivam & generativam existentem in sulphure philosophico per tempus caliditate ignis mensurata ab artifice, sicut principale agens intrinsecum. Et hæc virtus movet sulphur, in quo est, sicut instrumentum. Sulphur chemicū. *Sulphur Chimicum* autem motum movet aquam paradisiacam similiter, sicut propriam materiam ad generationem, eo motu, quo movetur à primis. Et est anima vel Spiritus in aqua paradisi, & in Sulphure Olympico in potentia, actu verò non. Sed est in *Mercurio Olympico* passivè, in Sulphure Olympico verò activè, sicut in efficiente. Unde liquefactio & coagulatio, & alia accidentia fiunt à calido & frigido, forma verò efficitur à motu, instrumentorum motorum, secundum scientiam artificis mensurantis & ministrantis ea naturæ. Incubat' Spiritus. Si nunc, incubatum aut motum Spiritus super aquarum abyssum expandamus & explicemus de mundi archæo, quemadmodum & hoc multi de Spiritu explicant, omnino fateri oportet, eundem genium adesse Magisterio Philosophico

phico Aquarum abyssus z) in se considerata erat corpus natura sua iners, utut omnium rerum naturalium tam sublunarium quam cœlestium in se complecteretur ideas, proprio tamen instinctu vel actu sese movere non poterant, ut fierent ideata vel absoluta corpora. Virtus extrinseca, quæ erat Archæus mundi, motu seu incubatu suo ideabat aquas, habiles fierent, disponerenturque, tandem ex iis hic mundus aspectabilis, non secus ac pullus ex ovo prodiret. Pullus qui potentia ovo inest sua virtute plastica, qua ovum à Deo donatum, semetipsum activare vel in actum deducere non valet, sed requirit incubatum & fotum Gallinæ. Non secus aquæ sua virtute plastica, qua omnes res sublunares cœlestesque parturiebat, nihil omnino producere poterant, nisi incubatu Archæi moverentur & foverentur. Sic etiam comparatum est cum opere philosophico, (a) ad illud natura ex suo profert sinu, materiam virtute generativa quidem donatam, verum nihil quicquam ex illa fieri potest, nisi accedat Dei benedictio, & artificis

Quid Archæus mundi aquis contulerit.

z) Abyssus aquarum corpus imperante Spiritus incubatum.

(a) Opus Philosophicum & situ & motu artificis indiget.

ſcientia, eſt enim iners Maſſa, hyle & informe Chaos ejusmodi tenebris, i. e. corticibus involutum, ut niſi ex iis evolvatur, nunquam aliqua utilitas ad opus philoſophicum ſperanda. Clarius hoc ipſum delineatur. Deus creavit naturam eamque ſufficientibus ad generationem dotibus usque ad mundi analyſin inſtituit, hoc equidem ex ſinu ſuo in manum artificis tradit materiam ad opus philoſophicum, verum illa materia 1) eſt rude & informe chaos, 2) ſegne & iners corpus; 3) unius ſimulque utriusque ſexus, proinde Hermaphroditum. 4) Activum & paſſivum ſimul uno eodemque tempore. 5) Tenebris involutum & eclipſatum. 6) Magisque in ipſo opere obtenebratur ad Menſem philoſophicum. 7) Humidum & ſiccum. 8) Terra & aqua &c. Niſi autem accedat periti artificis manus, ſicut eſt nihilum apprehenſivum, ſic & manet, ſi autem artifex operetur ſecundum naturam, fit opus philoſophicum. *Quartum punctum* abſolvit illa aquarum ſupracœleſtium, à ſyſtemate ſublunarium ſegregatio; cum hoc ipſo ſegregationis actu commodè conferri & comparari poteſt Lapidis philoſophici elaboratio: Hanc Philoſophus ab-

A DEO omnis generatio dependet.

Materiæ Philoſophicæ deſcriptio.

Artifex concurret moraliter.

Quartum punctum

absolvere non potest, (*b*) nisi aquarum ab aqua in Aludelis altum sublimet, & ex alto in imum reducat locum, ubi aqua sublimata in imum præcipitata se rursum unit cum priori suo liquore. Et quemadmodum sine influentiis cœlestium, quæ cœli spiritualem massam absolvunt, terra nihil profert vel producit, sed & illud sulphur philosophicum, quod Typhon in atrum convertit pulverem, sitit rursus suam aquam, quæ in sublime aludelis est attracta & sublimata. Hanc aliquoties Typhon in supremum aludelis regionem evehit, postea rursum in fundum aludelis, in quo jacet terra illa atra, vult reduci, hæc sæpius reiterata sublimatio & reductio una cum leni digestione absolvit hoc maximum Magisterium. Expendamus, quæso, nubium in aere genesin, earundemque analysin. Non ovum ovo, vel lac lacti magis simile est, quam ista elaboratio Lapidis huic rei, vel operi naturæ. Sicque *natura* ipsa non duntaxat ex suo sinu largitur materiam, ex qua hoc Elixir componendum, verum etiam ipsum opus, & gradus operis accurate ostendit. Pro-

Sublimatio philosophica.

Natura quid largiatur.

b) Aquarum divisio in superiores & inferiores.

inde omnes Philosophi monent, & serio inculcant, ne aliter laboremus, vel operemur, quam ut ipsa jubet natura.

Natura Domina.

Natura est Domina & Imperatrix, ars est naturæ ministra, æmula & imitatrix; summa: Artifex naturæ minister solet & sic salutari Medicus. Ars quoque est naturæ simia. Quo minus artifex vagatur extra naturæ oleas, tanto melius laborat. Ars æmulatur naturam. Naturæ autem opus ab exordio Mundi, usque ad ejusdem analysin, quale sit futurum, docet ipsa historia creationis. c) Et ab hac norma vel amussi in recensu illo decreta ne latum quidem unguem discedit, vel discedere quit

Fatum Naturæ.

natura. Et hoc est ipsum physeos fatum, vel sancitus ordo Dei pulcherrimus, qui inter omnes res concinnam stabilit harmoniam, & bellum consensum. Hic bellus consensus viget inter naturam & artem, cumprimis Spagyricam veram, non falsam illam Chemiam.

Convenientia artis cum natura.

Hæc si bene expendat & consideret Philosophus, dabit operam, ne ab illa recedat regula, quæ conformitatem suadet cum natura, & quam natura polydædala præscribere videtur. Cœlum ex

c) Natura, quæ ordine cœpit, perennat

ex aqua & igne coaliciſſe nonnulli ex Hebraico vocabulo, quod cœlum ſignificat, concludunt, nec malè. (Hebraica enim vocabula magis rerum proprietates, quam aliarum linguarum voces, exprimunt, utinam nomenclatura illa, qua olim Adam animalia inſignivit eſſet cognita, tum demum veram abſolutamque haberemus Kabalam) ex Sulphure & Mercurio philoſophico, i. e. ex aqua & terra lapis philoſophicus componitur, propterea etiam materia dicitur Olympica.

שמים quaſi ex igne & aqua.

Hebraica vocabula.

Nomenclatura Adæ.

Materia philoſophica.

APPENDIX CAPITIS.

Appendix Capitis.

Recenſus ille creationis eſt veriſſima apud omnes Chriſtianos relatio, & aliter credere, eſſet utique grande ſcelus, & in Spiritum Sanctum maxima injuria. Symbolizat noſter Lapis cum creatione, ſic & ſymbolizat cum *veritate, quæ una & ſimplex*, ex variis rebus eſſet coagmentata vel principiis, ſic & posſit in varia reſolvi Elementa, tamen in eo, quod uno plura eſſent, veritatem redderent multiplicem, adeoque in diverſa reſolubilem elementa, hoc autem admiſſo, non eſſet veritas, ut quæ omnis compoſitionis divi-

Veritas una & ſimplex.

Unitatis symbolum. sionisque expers. *Unitatis* symbolum est Lapis Philosophorum, cujus, utut aliqua sit materia, est maxima simplicitas. Hic autem lapis componitur quidem ex duobus quodammodo inter se differentibus. Cum illa autem differentia sic animo comparatum est, ut illa differentia non proprie sit realis, sed modalis. Partium est diversa modificatio, veruntamen unam duntaxat habent essentiam.


Materia Lapidis. *Materia Lapidis* statuitur sulfur & argentum vivum Philosophorum, sunt quidem, quoad externum aspectum numero duo, sed reapse unum, & in unum principium simplex sunt illa duo resolvenda: e.g. *Sulfur*, d) quod videtur esse corpus absolutum, adeo compactum, est etenim hoc Sulphur Philosophicum istiusmodi naturæ, ut ignis violentia nullam ei læsionem vel injuriam inferre queat, nihilominus totum resolvi debet in aquam, & atrum pulverem: i. e. quod terræ conversio fiat in aquam, & aquæ resolutio in terram.

Aqua paradisi dicitur ab Isaaco Hollãdo. Illa autem aqua, quam nonnemo aquam paradisi salutat, in quam se resolvit sulfur, in nullo differt ab

d) Sulfur quid Adeptis: non illud vulgi, quod incensum in stagma acidum transmutatur, sed quod est perfectissimum Naturæ opus.

ab argento vivo ſophorum, & ſulphur hoc in ſubſtantialitate ſua eſt ſophorum argentum vivum. Stante hoc principio, materia, ex qua lapis, eſt ſimplex: Et lapis ipſe eſt, quando ad ultimum pervenit. Complementum, ita ut abſolutus ſit purpura ſua amictus etiam eſt ſimpliciſſimus, & nulla humana induſtria in iſta duo, utpote *ſulphur & argentum vivum Philoſophorum*, poteſt reſolvi. Cujus rei hæc ratio eſt. Quod illa duo ſulphur & argentum vivum ſint medullitus unum & idem, unaque radice eadem innitantur generanturque, poſſunt etiam Elementa Lapidis in ſe invicem Metamorphoſi philoſophica verti: Hæcque mutua converſio abſolvit lapidem. Hoc modo dicitur, quod lapis ſit ex uno, utut duo videantur recipi & aſſumi, ſicque ratione ſimplicitatis Lapis aut Elixir cum veritate ſymbolizat.

Lapis ſimpliciſſimus.



Cap. V.

CAPUT V.

DE ANALOGIA MAGISTERII CUM PLASMATIONE MICROCOSMI.

Genesis Microcosmi.

CReationis hujus universi analogiam cum Magisterio Philosophico jam contemplati sumus, paucis quidem, quoniam instituti ratio prolixum discursum non permittit, alibi etiam hoc Thema ex professo, volente Deo, à nobis tractabitur. Accedimus ergo ad Microcosmi genesin, hæc autem dupliciter, scilicet immediatè, vel mediatè, consideranda. Hæc est solius Dei opus absq; secundarum causarum influxu. Deus enim hic ipse manum suam admovit operi omnipotentem, ista est quoque solius Dei, sed mediantibus causis secundis, quas dirigit, regit Deus per concursum suum omnipotentem, & ab eo in suo operari causæ secundæ dependent. Cum utraque insignem analogiam habet hoc nostrum Magisterium philosophicum, hancque demonstrabit noster discursus. In hac admiranda Microcosmi genesi, quam Dei amanuensis Moses descri-

Duplex Microcosmi Genesis.

describit, præcipue duo videntur esse singularis considerationis, in quibus ista analogia plurimum fundatur, & juxta quæ instituenda est. *Primo dicitur Deum* sumsisse terræ glebam, vel limum, & ex eo omnipotenti sua manu plasmasse vel formasse finxisseque hominem. *Secundo* in hoc hominis plasma inspirasse spiraculum vitarum, i. e. animam seu mentem. Quod ad primum attinet punctum, dicitur Deum sumsisse limum, *limus* est materia hominis remotissima, quique magis aptus esset ad fingenda fictilia, quam hominem; & non caret venerando Mysterio, quare Deus assumere voluit limum ad ejusmodi plasma, cui volebat imprimere characterem & signaturam suæ imaginis ac similitudinis, qua Deum (non juxta opinionem Antropomorphitarum) exacte tam quoad formam, quam quoad actionum cum voluntate Divina conformitatem referret exprimeretque. *Quare* autem Divina Majestas assumsit ad tam insigne tamque admirandum plasma limum, cum tamen in copia adessent creaturæ limo rudi informique longe nobiliores, has autem præterit, & sumit limum. Limo saliva subacto cœco Christus restituit

Genesis Microcosmi imediate a DEO facta.

Limus materiæ Microcosmi, & aqua.

Quare Deus limum assumserit.

Duo nobilitant Limum.

tuit visum. Quæ duæ actiones sic limum nobilitant, ut limus homines in admirationem rapiat, inque Numinis Omnipotentis devotum lacessat alliciatque cultum & venerationem. Divina Majestas ad plasma Microcosmi nullam aliam materiam voluit sumere, quam limum, ut eo ipso demonstraret suam omnipotentiam, qua per viam simplicem eductionis tam nobilem creaturam posset formare, & per viam reductionis, qua procedit natura. *Natum* etenim omnia opera sua non facit nisi per viam reductionis ad ejusmodi materiam, quam Deus in plasma hominis assumsit. Sive enim animalium genesin, plantarum germinationem, metallorum concretionem contemplemur, limus requiritur; verum materia, quam natura suppeditat, à limo est remotissima, itaque ex illa materia nihil omnino educere valet Naturæ Archæus, *e*) nisi materiam eam reducat in limum. Nullum corpus animalis nutritur sine hac arcana reductionis via, nam antequam materia apta est ad nutriendum, in limum erit conversa. Est itaque limus principium, ex quo, generatio-

Natura quomodo operetur.

Limus.

e) Natura debet reducere ad limum materiã, ex qua aliquid generare vult.

rationis, & principium per quod nutritionis. Limo saliva subacto cœco restituit Christus visum. Quid aliud voluit hoc ipso admonere, nisi ut oculos nostros aperiremus ad limum materiam hominis primævam ratione primæ plasmationis, & subsecutæ Genesis naturalis, in utraque limus. *Limus* est materia non arenosa, sed lutosa, cui & aliquid humidi admixtum. *f)* Non solum limus in naturæ operibus tam principalem agit personam, verum etiam, in operibus artificialibus, quæ videntur æternitatis gerere imaginem, & glorificati corporis ideam, *Limus* est principale elementum, docet id ipsum ars vitriaria, hæc ex cinere, sale & arena non potest educere vitrum, quod est ultimum complementum humanæ industriæ, nisi per modum reductionis videlicet in limum. Tamdiu etenim cinerem urunt in fornace, donec limum referat, sicque ex hoc limo educunt vitrum, quod antea educi non potuit, antequam in limum reductio plenè & perfectè fuisset peracta, sic natura primo reducit, antequam educet. *Limus* in artificialibus est reductionis effectus, Ars Vitriaria.

&

f) Limus quid? Limo in Philosophia adepta nihil sublimius.

& reductionis sphæra emensa, hic limus fit Eductionis novi artificii aut Magisterii elementum. Quemadmodum Deus ad plasmationem Microcosmi limum adhibuit, *g*) sic etiam ad plasmandum infantem chemicum Spagyria requirit limum, quoniam autem talem limum non suppeditat natura, nisi per modum vel viam reductionis, hinc chemiæ proceres præcipiunt, talem reductionem Antimonii Olympici in limum, Ex limo constat & in limum reduci debet. Nullum Magisterium absolvitur, nisi fiat vel præcedat reductio in limum. *Alterum punctum*, quod cum nostro Magisterio quadrat in plasmatione Microcosmi, est *inspiratio spiraculi vitarum &c.* i. e. Deus JEHOVAH limum animavit, inspirando vivificavit in animam viventem. Nisi enim Deus animam in hanc informem massam vel Chaos indidisset, tunc utique illa materia nunquam hominem absolvisset. Duo absolvunt hominem, corpus, & anima *h*). Duo absolvunt nostrum Magisterium anima & corpus; vel ut alii ajunt: Corpus, Spiritus & anima, verum de hac triplici En-

Alterum punctū.

g) Spagyria & circa limum occupatur.
h) Duo absolvunt hominem, anima & corpus.

Entitate, quæ tamen in se simplex est, alibi discurrendi occasio se offeret. Quod nostri Magisterii corpus dicitur illud in se consideratum est inane chaos, materia informis, quam & natura suppeditat crudam, impuram, contaminatam, virginali tamen decore venustam, non secus, ut materia ex qua Dominus Deus plasmavit machinam hominis, fuit limus virginalis, *i*) qui nunquam adhuc corporis vel compositi constitutionem ingressus est, sicque forsan hinc ideam istius corporis utpote hominis habuisset impressam, itaque per modum eductionis Deus hominis plasma exinde eduxisset. Minimè, fuit limus virginalis nullius ideæ ideatæ vel ideantis sigillo, vel extrinsecè intrinsecèque sigillatus. *Paro virginali decore* superbit nostra materia, quæ Magisterium philosophicum ingreditur, aut ad ejus confectionem recipitur. Quamvis autem ejusmodi imo pari virginitatis decore venustateque prædita sit materia philosophica, nihilominus in illo differt, quod ars naturæ obstetrix ex ea non possit facere suum magisterium philosophicum, nisi eam materiam reducat

Limus virginalis in opere.

Ars operatur per reductionem.

i) Limus virginalis: O Ter quaterque beatus, cui hic limus cognitus,

ducat in veri limi ſubſtantiam. Hoc minime opus habet Deus. Deus ex nihilo entitativo cœli & terræ ſyſtema, eduxit. Ex limo eduxit corpus humanum. Natura operatur per viam reductionis, & denique ex corpore in materiam ſuam reducto format compoſita. Præterea materia, quam adhibet, non eſt prima vel ſimplex. Sed à Deo charactere ideæ ideata, & ideæ ideantis ſigillata. Eodem modo ſpagyria in ſuo opere philoſophico primo per modum reductionis procedit ad verum limum, *k*) qui manum attrectantis limi colore tingit. i. e. Quod Philoſophi ſcribunt, in materiam ſuam debere reduci elementa Lapidis. *Secundo Spagyria* æque ac natura utitur materia non ſimplici, ſed ſuo modo compoſita. Secundo materia charactere ideæ ideata, & ideæ ideantis ſigillata; quæ omnino potentia adeſt, quod ex ea fieri debet, & omne corpus in ejusmodi characteriſatam materiam revertitur. Sicque cinis & pulvis, in quem per analyſin convertitur hominis corpus, ſic eſt characteriſatus, ut ex eo Deus juxta ſuam omnipoten-

Cinis & pulvis.

ten-

k) Limus Magiſterii manum inquinat artificis. O optimum & pulcherrimum inquinamentum, quæ ſordes nigræ auro præſtantiores.

tentiam facile hominem resuscitare valeat. Hanc characterisationem Deus suo verbo, Fiat! materiæ impressit, & istius verbi virtute, Fiat! Generatio perennat, donec rursum totum, per verbum pereat, opificium dissolvatur. Hanc informem, quam largitur, vel sinu suo profert materia, suo modo characterisatam Typhon Chymicus animat. Sic duo hæc juncta sive unita sunt subjectum Magisterii philosophici. Quomodo autem materia sit characterisata probatur resuscitatione plantarum ex suis cineribus. *l*) Ista characterisatio & proprie naturæ primigenia virtus, cujus beneficio omnia perennant in sua genesi, hæcque characterisatio obstat, quo minus aliquid verè moriatur, sed omne quod mori videtur, virtute characterisationis in vitam aliquam revertitur, & quid vitæ analogon omne mortuum videtur obtinere. Eodem modo & Lapidis philosophici characterisatio inest suis elementis, quæ ipsum ingrediuntur constituuntque. Quadrat itaque Magisterium philosophicum cum primigenia Microcosmi genesi, parem analogiam Lapidis con-

Typhon chymic⁹.

Nihil vere moritur.

E fectio

l) Characterisationem materiæ probat palingenesia,

fectio habet cum genesi Microcosmi, quæ insistit vestigiis ordinarii naturæ cursus. Huc respiciunt cum suis homunculis chemicis, de quibus *Paracelsus* quædam in suis habet Scriptis. Et qui hoc arcanum non intelligunt, hi calumniis lacessunt philosophos: Quasi tam crassa ignorantia laborarent, ut non scirent, quænam requirerentur ad perfectam hominis generationem; eaque esse talia, quæ non possent peragi in vitro, vasæ naturæ operi prorsus adverso. Proinde hæc intelligenda sunt de infante philosophico, qui ortum suum ducit ex conjunctione maris & fœminæ philosophica, spermate philos. utero philosoph. deniqȝ partu philosoph. & quod hic infans cibandus sit lacte virginali. Hoc fine hanc allegoriam commenti sunt, ut ea Adeptæ philosophiæ studiosos docerent verum & adæquatum in Magisterio operandi modum. Nam 1.) *quemadmodum* nulla fit hominum generatio sine utriusque sexus hominum, utpote Maris & Fœminæ conjunctione, sic & neque Magisterium philosophicum perficitur, nisi Gabritius & Beja, vir rufus & candida fœmina creant. 2.) *Nulla fit generatio*, nisi sperma in vas idoneum recipia-

Paracelsus de homunculis chemicis

Infans chemic⁹,

Gabriti⁹ & Beja.

cipiatur, creatore adæquato foveatur. Idem de infantis philosophici genesi tenendum, hic requiritur vas idoneum. Unus uterus ad prolem sufficit; sic & unum Vas ad infantem philosophicum, similiterque calor moderatus. 3.) *Omnia ab utero avertenda*, quæ possunt turbare generationis opus. Omnia quoque à vitro Hermetico amolienda, quæ possunt remorari genesin infantis philosophici. Ulterius hanc analogiam prosequi non placet, fecerunt id ante nos Excellentissimi Philosophi, quæ à nobis hic prolata, ea sint loco Apologiæ adversus malos Paracelsi interpretes, Transimus ergo ad alia. Vitrum Hermeticum.

APPENDIX ad CAPUT V.

Superest adhuc quæstio, quod si hoc Magisterium cum animalis genesi quandam sortiatur analogiam, cum qua itaque potissimum conveniat. Duplicem enim generationem, videlicet univocam & æquivocam statuunt? Respondetur cum utraque, quippe cum univoca convenit, quatenus utriusque sexus copulam, & sperma ex utroque decidum requirat; Denique legitimam temporis determinationem exi- Appendix Capitis V. Duplex Generatio univoca & æquivoca.

gat, perque gradus in ista genesi proce-
datur. Et hæc ipsa in Magisterio phi-
losophico observare præcipiunt Philo-
Concordantia cum æquivoca. sophi. Cum *æquivoca* etiam concor-
dare dici potest, quia materia assumitur
paradoxa, exque ea perficiatur talis effi-
fectus, qui cum materia nullam habeat
convenientiam. In isto enim processu
Philosophico res mirum in modum
in se invicem transmutantur, quæ
in principio Magisterii fuit agens
& solvens, & volens, ea res successu tem-
poris fit patiens, fixaque cum figente
Variatio in opere. remanet. Proinde quod in initio ope-
ris officio viri fungebatur, ad fœminæ
officium ablegatur, & quod antea fi-
xum, fit volatile, & quod volatile fi-
xum. Et ut æquivoca generatio ne-
cessario præsupponit putrem & corru-
ptam materiam, non secus Magisteri-
um philosophicum omnimodam pu-
trefactionem requirit. Quæ si ita ex-
pendantur, curioseque examinentur
nemini dubium esse potest, quin cum
utraque concordare statuatur, cumpri-
Multiplicatio & fermentatio. mis, si multiplicationem fermentatio-
nemque consideremus, videtur mag-
cum æquivoca, quam univoca conv-
nire genesi. Sed cum magis evidente
Mysterium exprimere philosophicum
sitt

ſit animus, cum utriusque generationis arcano quandam habere Analogiam, aut convenientiam, fatendum eſt. Ultimo etenim in hoc puncto notetur, cum plantarum generatione belle concordare, verum iſtam convenientiam hoc loco non tangemus. Tranſimus ergo ad alia & quidem ſublimiora Theologiæ Revelatæ Myſteria, inter quæ primum locum tribuemus Myſterio SS. Triados, quomodo autem hunc ipſum articulum adumbret, vel & asſerat, capitis ſequentis argumentum erit. Pauca quædam Cap. IX. *Catonis noſtri chemici* de hoc argumento diximus, latius autem hic evidentiusque tractare propoſuimus.

Cum plantarũ geneſi convenit.

Vid. cap. IX. Catonis noſtri chemici.

CAPUT VI.

Cap. VI.

DE

ANALOGIA MAGISTERII PHILOSOPHICI CUM MYSTERIO SS. TRINITATIS IN DEITATE.

NUllum omnino Myſterium cum quo Analogiam Magiſterii Philoſophici inſtituturi ſumus, æ-

 que

que controversum est, m) rationique humanæ contrarium videtur, quam hoc ipsum. Estque Lapis offensionis, in quem Judæi, Gentes; & quod mirum est, grandeque nefas, & quidam Christiano nomine dealbati impingunt blasphemoque ore calumniantur, istius nefandæ execrandæque impietatis sunt *Arriani*, Sociniani, Photiniani, (ut nihil nunc de Atheis dicam;) ista hominum colluvies nihil in Theologicis amplectitur, nisi quod cum norma rationis inanique illorum philosophia consentit. Minime attendunt ad illud præceptum Pauli. *Quod ratio in articulis fidei captivanda sit.* Sicque solum fides in iis habeat locum. Utut autem his solum fides dominetur, nihilominus nemo diffiteri potest, quod quemadmodum in naturalibus rebus quædam datur articulorum fidei characterisatio, ex qua possunt desumi probationes ad quosdam articulos fidei probandos; nec minus ubique immensæ divinæ bonitatis misericordiæque vestigia omnipotentiæ signaturas legimus & cernimus; sic & natura multisque ejus rebus Sacro-Sanctæ Triados aliqua

Ratio in rebus fidei captivanda

Natura quædam huc pertinentia includit.

m) Antitrinitarii pessimi hæretici, homines nefandi.

aliqua characterisatio insculpta est; In explicanda eruendaque quidam excellentissimi viri strenue desudarunt, cumprimis Theologiæ naturalis scriptores. Quomodo & aliqui ex monumentis Platonis hunc articulum asseruerint, ex quorundam scriptis palam est. n) *An autem ejusmodi ex philosophis Gentilibus petitæ probationes ad articulos fidei probandos, ad quos fides duntaxat exigitur, rationemq; captivare, jubemur, bona cum conscientia, salvaque orthodoxia & sine crimine læsæ Majestatis Divinæ afferantur, est quæstio, quæ meretur enodationem?* Verum nos eam hoc loco non expendemus, fiet forsan alias. Eodem jure quæritur; *An ex naturalium rerum œconomia probationem ad fidei articulos mutuari liceat?* o) Resp. Hunc nodum paucis solvemus. I. *Istæ probationes* debent esse non fictæ, sed revera ita se habentes. II. *Non debent esse* coactæ, aut violentæ, aut violenta laborare interpretatione; Sed sponte; exque ipso quasi dictamine & consequentia interpretatio & applicatio fluent, nullum violen- Requisita illarū ..atio-num.

n) An ex Gentilium monumentis recte testimonia ad articulos fidei probanda afferantur.

o) An ex naturalium œconomia recte petantur.

tæ interpretationis ſit indicium. III. *Non debent præponi* teſtimoniis Scripturæ; majoris enim æſtimandum eſt Spiritus Sancti, quam naturæ dictamen. Quæ requiſita potiora ſi obſervemus, jure ſuo hæ probationes innituntur. Accedit & hic, quod interdum nobis res ſit cum phanaticis, Atheis, alioque hominum genere impio, hi convinci volunt ex natura. Et quid multis, Cardo hujus ſolutionis verſatur potiſſimum in hoc. Quod ipſe Chriſtus ejusque Apoſtolorum conſiſtorium nos ablegent ad naturæ ſcrutinium, ut quoque ex ea hauriamus & diſcamus, quæ faciunt ad afferenda dogmata Theologica. Et quid mirum, teſtatur tamen artificiale de ingenio artificis, an itaque naturam non teſtaretur de ſuo Creatore. Intellexerunt hoc Magi Ægyptiaci exclamantes: Hic eſt digitus Dei. Omnis creatura teſtatur de Dei omnipotentia & immenſa bonitate. Sicq; hæc quæſtio ſoluta, hujusque quæſtionis ſolutio etiam facem accendit ad reſponſum, quod debetur ad primum quæſitum de probationibus ex Gentilibus Philoſophis petitis. Accedimus jam ad Magiſterium noſtrum philoſophicum. De eo autem duo quæruntur?

Quidam ex Natura convinci volunt.

Artificium ingenium artificis declarat.

Duo quæſita.

1.) *An*

1.) *An recto cum hoc ipso comparemus Mysterium Triados, præcipue cum adhuc lis sit, an tale quid existat in rerum natura? 2.) An ex hoc ipso probationem istius articuli recte desumamus, cujus Elaboratio non evidenter traditur à Philosophis, & hi inter se ipsos de multis rebus sunt discordes?*

Resp. Primum quæsitum duo videtur complecti membra, alterum est, an cum hoc Magisterio recte comparetur Mysterium SS. Trinitatis? Videtur affirmativa vera, quia nullum omnino occurrit ens inter naturalia & artificialia, quod tam appropinquantem harmoniam habet conformemque convenientiam, quam hoc ipsum cum venerando Mysterio. Interim & hic habere locum istum canonum, omne simile claudicat, verum est, plura insunt, & quidem sexcenta, cum quibus hoc Magisterium nullam omnino habet paritatem, vel convenientiam. Sciendum etenim; omnia naturalia, artificialia, spiritualia in comparatione cum Mysterio SS Trinitatis æque convenire ac ut punctum temporis minimum cum immensa æternitate, vel atomus cum cœli & terræ systemate. Inque hac comparatione videmus æmulari puerulum eum, qui voluit exiguo vasculo im-

Responsio ad primum.

Quousq; illa comparatio accipienda.

immensi oceani aquas in parvam transfundere fossulam aut foveam. Ita pia quædam meditatio est hic noster comparationis labor. Finisque istius est, Sociniani hoc pacto quodammodo sui crassi erroris convincantur, an forsan hac occasione ab illorum oculis spiritualis illa cataracta posset tolli, quæ cœcutiunt, illisque fidei lumen in illorum cordibus oriretur, & discuteret istas rationis tenebras. *Aliis autem hæc comparatio videtur absona*, quoniam dubium est, an tale Magisterium in rerum natura existat? Resp. Magisterium hoc in rerum natura existere, istiusque professores permultos fuisse, constanter asserimus! Hujusq; nostræ assertionis testimonia fundantur in innumeris historiis de hoc lapide conscriptis, quæ historiæ possunt legi apud eos, qui ex professo hoc argumentum tractarunt. *p*) Rationes etiam negantium jam dudum solutæ sunt, tamque nervose refutatæ, ut nemo sanæ mentis eas rursum sit propositurus eo animo, negativam defendere velit, sed interdum exercitii ergo possunt ventilari. Rationes etiam istæ

Quibusdam absona videatur.

Rationes sunt nullius momenti.

p) Videsis nostrum opus de auro §. XXV. p. 189. usque ad p. 231. & in appendice apologetic. p. 8. confer nost. Fascic. quatuor Epistolarum.

istæ, quibus *py-go po linices* hoc Magisterium oppugnat, sunt perquam exigui momenti & ponderis, si vero illarum numerum spectes, videntur esse quantivis pretii, communiter ultra 50. numerantur; si autem qualitatem, robur, virtutemque examinas, qualitatis enim harum, non quantitatis vel numeri ratio habenda, videntur esse scopæ dissolutæ, & meræ fallaciæ inanesque logi, quibus ipsa natura pro nobis respondet, imò ipsa natura quotidie tales edit operationes, quæ videntur ultro asserere hujus Magisterii physici possibilitatem, virtutes, & omnia alia, quæ de suo lapide, materia, & modo operandi methodoque eum componendi scribunt Philosophi. Et revera nihil occurrit in toto hoc Magisterio, quod non sit merum naturæ opus, proinde serio præcipiunt, Naturam imitemur, & quod hæc ipsa sola sit Magistra & artifex hujus Magisterii, chymiater, aut si mavis, Alchemista duntaxat contemplator est, & admirator, eritque Dei devotus Cultor. Quibus tot historiæ testimoniaque non sufficiunt, cum iis amplius non disputandum, sed damnandi sunt ad *Elleborum.* Quis non diceret hominem insanum, qui canonis istius

Quid hoc opus, nisi Naturæ?

Testimoniis præferendæ historiæ.

istius Philosophici veritatem negaret. *Impossibile est, rem esse, & simul non esse.* Hic ab omnibus absurdus, & non injuria, æstimaretur; æque absurdus est, imo absurdissimus, qui hoc negat Magisterium Philosophicum. q) Sicque hæc prima difficultas, quam primum quæsitum proferebat, penitus sublata & discussa est. Accedimus ad alterum quæsitum; hæcque tria complectitur puncta membra: primum est, an recte ex hoc afferamus hunc articulum, est quippe opus Physicum, hic autem articulus est Metaphysicus, & omnem humanum captum transcendens. Resp. ad hoc ipsum supra in hoc capite respondimus, cui responso jungi potest id ipsum. Ad secundum, non obstat, quod ejus compositio non tam evidenter tractatur, tamque claris describatur verbis, ut quilibet intelligere & componere possit. Artis filiis, quibus Deus oculos mentis aperit, hoc arcanum arcanissimum satis evidenter, satis perspicuè & apertè traditur. Imò satis apertè loqvuntur, quando Philosophi Adeptæ

Adepti apertè loqvuntur suis filiis, nō alienis.

q) Qui hoc negat Magisterium, absurdus est, sit qui velit, hicque injurius in Deum, in Naturam, in artem. Nec Mundus dignus, Experimentis confutemus. Quærant sibi similes labra lactucas.

ptæ Phisophiæ studiosos ad naturam hujus rei fidissimam Magistram ablegant. Quod ad tertium punctum attinet, illud etiam contra chrysopœam urget *Athanasius Kircherus*: verum enim vero quis non videt, *Kircherum* sophistas cum Adeptis, imò Pseudo-Chemicos cum Spagyriæ veris mystis confundere. Hi inter se discordes, isti è contra concordes, & ubique ex illorum scriptis bella harmonia elucescit, & admiranda unanimiter, imò ne id occurrit, ex quo possent argui discordiæ mutuæve contradictionis. Multa quidem immiscent suis scriptis, quæ nihil ad Rhombum faciunt. Verum oportet ita, ne Margaritæ porcis projiciantur, aut ne hujus Mundi Magnates ad hoc arcanum arcanissimum perrumpant, quibus cumprimis aditus ad hoc aureum vellus præclusus est; & si excipias *Rudolphum Imperatorem*, vix ullus est princeps, in cujus palatio hic flos floruit albus, qui *duos istos fumos in unum conjunxit*. Cujus rei potissima causa hæc est. Quod plurimi humanum imo Christianorum sitiant sanguinem, ejusque temerariæ profusionis sint rei, & hoc obtento arcano minus parcerent. Nota est historia de *Eduardo*

Responsio ad Kircherum.

Adepti in suis scriptis sunt cōcordes.

Quare Magnatib⁹ non pateat.

do Rege Angliæ & Raymundo Lullio: Nimiæ sanguinis humani, utut justa gesserit bella David, ipsum indignum fecit ædificatione ædis sacræ. Sunt & aliæ causæ, quo minus Reges & Principes ad hoc arcanum perveniant, sed præteribimus. Quo minus autem Adepti se iis manifestent, obstat taciturnitatis juramentũ quo sese Deo & naturæ obstrinxerunt. Etiam terrent vestigia, quæ omnia intro, nõ retro spectant, & quam serviliter, crudeliter, barbareq; fuerint tractati, commemorant historici. His horumque laboratoribus videntur esse discordes, & sibi invicem contrariari. Superatis jam his difficultatibus punctum facile attingemus, remque ipsam aggrediemur. Brevi interim sermone expediemus. Quoniam nostri intellectus acies ad hoc Mysterium cœcutit, ut cœcus ad solem r). Imò magis devotam pietatem reverentiamque, quam aliquam scrutationis industriam requirere videtur. Conabimur tamen aliquid, salva pietate fari hunc articulum afferens & illustrans. Aggredior autem jam hanc comparationem quidem paradoxam, sed non caco-

Quare adepti occultent.

r) Hoc mysterium magis pie & devote adorandum, simpliciter credendum quam temere scrutandum.

cacodoxam: Paradoxam merito dico, quoniam in ea punctum comparatur cum linea immensæ magnitudinis, & infinitæ extensionis. Dico punctum cum linea, linea enim à puncto dependet, quemadmodum autem linea à puncto ortum sumit, sic inter punctum & lineam aliqua intercedit analogia; Non obstat, quod linea hæc sit immensa infinitaque, primum tamen ejus principium est punctum. Omne autem punctum, quod est sui juris, est rotundum, rotundum æternitatis symbolum. Proinde salva pietate orthodoxiave comparatio aliqua inter lapidem philosophicum, & adorandum Triados mysterium institui potest. Sicut etenim Deus naturam sic cohonestavit, ei suæ omnipotentiæ immensæque bonitatis aliquam characterisationem insculperet inscriberetve, aut ita sigillavit, ut quasi aliquo sigillo Divinæ Majestatis superbiat, cum autem Deus sit unus in essentia, Trinus in personis, & hujus Trinitatis signaturas innumeras exhibet Natura. Quia autem in Magisterio Philosophico illa Symbolizatio cum Triados mysterio præcipue apparet; Hoc Magisterium cum illo Mysterio comparare placuit. In Trinitate est una Essentia divina individua, infinita, inde-

Punctum lineæ fons.

Æternitatis symbolum.

Signatura in natura est multiplex.

independens, omnipotens, omnipræsens, & tamen tres personæ, videlicet Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Hæ tamen sunt tres personæ modo quodam ineffabili distinctæ, & tamen etiam una sunt hypostasis Essentiave Divina, ipsa etiam idiomata, quæ Deo attribuuntur, ea ipsa tribus personis sic communia sunt, ut de qualibet possint prædicari, ut juxta ea quælibet persona sit Deus, Divinamque habeat essentiam infinitam, utut cuilibet personæ communem, tamen revera individuam.

Una essentia, tres personæ.

Quare quod de Deo Patre etiam abstractive prædicatur, hoc etiam de Deo Filio, de Deo Spiritu Sancto abstractivè sic prædicari potest, Divinitatem individuam inter tres has personas, in hisve tribus personis adoremus. Sic ille cultus, qui fit alicui ex tribus personis, fiat eodem jure tribus personis. Homo adorat Deum Patrem, eodem momento simulque Deum Filium à Patre genitum (Hodie te genui, ait Psaltes) Spiritumque Sanctum ab utroque procedentem, ast tamen verum Deum adorat. Quemadmodum Angeli canunt: *Soli Deo gloria*, s) i.e. Soli individuæ

Cultus tribus personis est, & erit æqualis.

s) Soli Deo Gloria, i. e. Tribus in una divina essentia personis.

viduæ in tribus perſonis exiſtenti Deitati gloria. Soli Deitati in Deo Patre, Deo Filio genito, Deoque Spiritu Sancto individuæ gloria. Eſt tamen ratione perſonalitatis aliqua differentia, ratione Eſſentiæ & Deitatis individuæ nulla, ſed hæc in tribus perſonis una & individua. Iſtam autem differentiam inter perſonas intercedere probant, quod de Deo Patre dicatur, quod ab eo genitus ſit Filius, & quidem hodiè. *t)* Hodiè ſignificat præſens tempus. Hoc præſens tempus in Deo denotat æternitatem. Secundo, quod Spiritus Sanctus dicatur procedere ab utroque, tamen ſub formali individuæ Deitatis. Quonam autem nomine hæc differentia ſit nominanda, an ſit Eſſentialis, an nominalis, an modalis. Reſp. Eſſentialis non eſt; hæc enim tolleret individuitatem Deitatis, quæ omnibus tribus perſonis æqualiter ſit communis, ut tamen ſalvum maneat formale individuitatis, ſub quo format. Concipi debet Deitas; quæ ex æquo de Deo Patre, de Deo Filio, de Deo Spiritu Sancto, & concretivè & abſtractivè prædicari poteſt, nulla ergo hic intercedit differentia

Nulla differentia eſſentialis.

F

t) Hodiè genui, i. e. ab æterno, apud Deum eſt unum & perpetuum & æternum hodie immutabile.

rentia Essentialis, ut quæ necessario infert diversa prædicata, idiomata, proprietatesve; diversum formale, & quod maximum, tollit omnem individuitatem, sub qua semper concipienda sunt idiomata, prædicata Divina. Imo nec quidem nominaliter idiomata ipsissimæ Deitatis sunt enuncianda sub alio conceptu, vel formali, quam individuitatis, nisi solum illa, quæ videntur, gigni, procedere, nasci, pati, mori, resurgere, ascendere in cœlum, esse consequentia. In hac Trinitate Deus Filius infert aliquam differentiam realem, non respectu essentiæ Deitatisve, quæ sola, una & individua in tribus personis, verum respectu assumtæ naturæ humanæ, sed hoc arcanum in subsequentibus capitibus tractabitur. Quod modalis differentia sit, quidam videntur asserere, in hoc autem inquirere, non est hujus loci. Quomodo vero nunc nostrum Magisterium philosophicum cum dicto Mysterio concordet, exponere accingimur. Deus adsit cœptis! Materia Magisterii philosophici est Una & Trina, una dico, quoniam est simplex, omnisque compositionis in totum expers, sicque realiter, neque in duo vel plura dispesci potest, proinde

Quomodo idiomata illa pronuncianda.

Quam differentiam inferat Filius Dei.

Instituitur ipsa comparatio.

im

in hac sua essentia individua, & quidem individuitate munerica essentialive, cum nullo enim corpore sublunario sub formali eo, quo dicitur materia magisterii philosophici adæquata, habet affinitatem ceu analogiam, aut etiam in ullo tertio, nisi figuratè comparari potest, quatenus etenim audit materia Magisterii Physici, ejusmodi individuitate prædita, qualis de nullo ente sub sole prædicari potest. Indivituitas simplicitatem essentialem infert, & talem equidem simplicitatem, quæ magis ad spiritum, quàm corporum pertinet naturam. Nihilominus in hac sua simplicitate Trina vel Triuna est: dico Triuna, spiritus, anima & corpus, tria hic sunt nomina, sed non tria entia essentialiter distincta, omnia enim illa tria inter se unam habent essentiam individuam, & attributa, quæ sunt spiritus, eodem modo etiam sunt animæ, suntque corporis. Quamvis autem nunc hic sit talis essentiæ individuitas in spiritu, anima, corporeve; *u*) nihilominus Magisterium Philosophicum exigit, ut sua materia sub formalitate spiritus, sub formalitate animæ corporisve sese

Materia Magisterii philosophici.

Individuitas Essentiæ simplicitatem infert.

 sese

u) Sub quo illa materia philosophica sese repræsentet.

sese repræsentet, omniumque trium officium plenè impleat. Si etenim se solum haberet, ut spiritus, tum à manu artificis non posset tractari, multo minus posset esse materia Magisterii. Neque solum anima est, nec sic apta foret ad materiam philosophicam. Neque tantum corpus, nec sic verificaretur, quod jubent Philosophi. Fac fixum volatile, & volatile fixum. Hoc autem non potest fieri, nisi materia nostra sit sub formali suæ individuitatis (1.) Spiritus, & hoc est, quod dicimus volatile, nihil enim Chemicis volatile, quam sub formali spiritus. (2.) Sit anima anima est Philosophis *ens incompletum* animæ vice fungetur. Anima quippe è suo corpore evocata, in cadaver refundenda est, & refusio sæpius repetenda. Meteorologicè dicunt Philosophi: converte nubem in pluviam, & irriga terram mortuam. Verum mag. approperè; redde cadaveri animam suam, ut reviviscat. (3.) Sit corpus, & hoc est, quod dicimus fixum, omne corpus quid fixi in se trahet. Corpus hoc philosophicum penitus moritur, putrescit, atrum terræ colorem induit, non secus ac si atra esset terra. Utut tamen corpus, tamen revera & spiritus

Spiritus sub forma volatilis intelligitur.

Magisterii delineatio.

am

animave eſt. In hoc corpus jam vere mortuum infunditur anima ea, quæ prius ex eo egreſſa eſt, ſic ut vera mors, juxta Definitionem Ariſtotelis contigerit, anima cadaveri reddita, corpus reviviſcit, & Magiſterium abſolvitur; Magiſterium abſolutum eſt corpus, quoniam omnes ſenſus afficit, & ſub formalitate corpus in quolibet vaſe reſervatur, vel eſt pulvis liquorve, etiam eſt ſpiritus animaque. Spiritus habet proprietates pneumaticas, in corpus humanum datum inſtar ignis penetrat & morbonam abigit. Simili pneumatica irradiatione in metallis curat lepram, illorumque Elephantiaſin; Etiam anima eſt in hoc, quoniam ſolis i. e auri animam inſerit in metalla ignobiliora. Hæcque auri animæ in ignobiliora metalla inſertio videtur redolere arcanum metempſychoſis Pythagoreæ. Spiritus animave etiam ſalutari poteſt, ſi attendas ad ejus fermentationem & multiplicationem, quæ in totum eſſet impoſſibilis, ſi ſaltem eſſet corpus. Sic que ſub formali individuitatis & materia Magiſterii philoſophici eſt una, & Triuna. Ipſeq; Lapis eſt unus & Trinus. Nonne itaque pulchre & elegan-

Magiſterium abſolutum quid?

Quomodo metalla transmutentur.

Nõ duntaxat corpus, ſed & ſpiritus.

ter hic ideata est SS. Trinitas! istiusque habemus hic quandam characterisationem Mysticam.

Cap. VII.

Caput VII.

DE *ANALOGIA VEL COMPARATIONE MAGISTERII PHILOSOPHICI CUM MYSTERIO INCARNATIONIS DEI, PARTUQUE VIRGINEO.*

Incarnationis adorandum mysterium.

QVandoquidem omnium Christianorum professio & confessio est, Deum Patrem filium suum ab æterno genitum, ut redimeret humanum genus, unde & mundi Redemptor audit, misisse ut in utero virginis incarnaretur, carne humana iste DEUS Spiritus vestitus; non quælibet humana carne virginis illibatæ duntaxat carnem indueret. Et hoc mysterium demirari & pie venerari, non curiose scrutari aut juxta humanæ rationis lancem expendere, pios Christianos decet. Inveniuntur equidem homines, qui hic nimium curiosi sunt in scrutando tanto mysterio, quod & Angeli venerantur:

Virginis illibatæ.

tur & demirantur, imo & angelorum, hominumque captum longissime transscendit. Itaq; hic simplicissime S. Scripturæ credendum est, quicquid de hoc Mysterio ecclesiæ revelat x). Salva, tamen pietate aliquam comparationem hujus Mysterii cum Magisterio philosophico instituere annitimur. Non equidem ignoramus, tantam puritatem, quoad Mysterii istius sublimitatem, inter hoc Mysterium & Magisterium philosophicum intercedere, quanta intercedit inter naturam naturantem & naturam naturatam. i. e. inter infinitum & finitum: inter independens & dependens. In tantum autem, in quantum scimus. Veri Dei filium è cœlo à Patre esse missum, ut in utero purissimæ virginis carnem humanam assumeret, & ab ea completo tempore in lucem ut homo ederetur, & quod simul sit verus Deus infinitæ cum DEO Patre Essentiæ, omnipotentiæque y). *Verbum caro factum est.* Cum hoc Magisterio more humano compa-

 rare

x) Simpliciter credendum, non temere scrutandum. Theologia est immensa abyssus, cujus fundum humana bolide explorare impossibile, qui enim nimium scrutantur, sese præcipitant in ignorantiæ æternæ barathrum.

y) Filius ejusdemque cum Patre Essentiæ & potentiæ ab æterno fuit.

rare possumus. Manet nihilominus verum, quod finitum non *sit capax infiniti, scilicet physicè, non mysticè.* Interim si expendamus hoc arcanum arcanissimum Sophorum, claret & hic quædam phœnomena occurrere, quæ arguunt, & probant, & in hoc artificiali finitum fieri capax indefiniti. Abhorret etenim natura ab infinito, non autem ab indefinito z). *Ipsa etiam natura, omniaq; ejus opera, si ad nostri intellectus capacitatem normamve expendantur, sunt indefinita.* Quemadmodum vero in Mysterio incarnationis finitum infiniti capax factum. i. e. *Verbum Caro factum est.* Sic & modo suo in Magisterio physico. Definitum fit capax indefiniti a). Et hoc *primo* respectu materiæ Lapidis: *secundo* etiam respectu potentiæ tingendi. *Dico* (1.) respectu Materiæ: Materia autem illa, agens & patiens, mutant tamen agens & patiens suas vices: quod primo fuit agens, postea fit patiens; & quod primo patiens, postea fit agens, & ita etiam agens ut colophonem operi imponat.

Si

z) Natura ab infinito non indefinito abhorret. Ipsa natura respectu nostri intellectus est indefinita, eodem modo totus mundus indefinitus.

a) Quomodo in opere definitum indefiniti capax fiat.

Si non ita ſuas vices mutarent, nunquam opus philoſophicum abſolveretur, *b)* multo minus tanta polleret potentia, quantum poſtea exſerit. Hoc agens & patiens inter ſe differunt ut definitum & indefinitum. Si enim ambo eſſent definita, non poſſent eſſe materia Lapidis, hujusque conſtitutionem ingredi. Ad ſubſtantiæ corporeæ compoſitionem Duo principia, utpote materia & forma requiruntur. Materia & ſua natura ſic indefinita eſt ad omnes formas, ut Cera ad omnium ſigillorum impreſſionem. Forma è contra definita. Duo indefinitum & definitum lapidem philoſophorum abſolvunt. Indefinitum eſt, quod Philoſophi ſuum Chaos dicunt, vel aquam ſuam paradiſi, (hoc nomine inſignitur ab *Iſaaco Hollando*) hæc aqua paradiſi eſt ens incompletum reſpectu compoſiti, cujus conſtitutionem ingreditur & plene conſumat. Forma verò eſt illud ſulfur philoſophicum. Indefinitum proprio ſuo nomine appellant Argentum vivum, ſed ad diſtinguendum à vulgo, addunt & merito philoſophicum, quod à vulgari per ſuam diagno-

Duo Lapidem abſolvunt.

Indefinitum in opere quid?

 ſin

b) Mutatio vicium abſolvit opus. Siquidem in eo vices crebro mutantur.

sin distinctum definitum sulfur, verum etiam Sophorum. Si etenim quis Argentum vivum commune & sulfur commune conjungeret, ac per centum annos in igne coqueret, nihil omnino efficeret. Intelligunt ergo Philosophi hic suam materiam. (2.) *Ratione Tincturæ*, i. e. virtutis, quam exserit Lapis consummatus, hic enim in infinitum posse tingere dicunt Philosophi, verum nos pro infinito ponimus indefinitum; Et sic quemadmodum in incarnatione Filii Dei finitũ, factũ est capax infiniti. Sicq; & suo modo in Magisterio Philos. definitum factum est capax indefiniti. *Alterum punctum* cum quo Magisterium philosophicum comparamus, est in hoc incarnationis mysterio *Partus Virgineus.* Ex Virgine voluit Deus nasci homo, homini in totum (excepto peccato) similis. Hunc partum virgineum ratiocinatus est *Propheta Jesaias*, scilicet ex *Almah* debuit nasci, ponitur hic in medio Vocis Mem hoc modo ם scriptum, finale. Quod utique non caret maximo Mysterio. Quo Spiritus Sanctus intendit digitum *primo Generaliter* in istius Mysterii Magnitudinem. Quod hyperphysice finitum factum est capax infiniti. i. e. *Verbum Caro factum est.* Spiritualiter respexit ad partum

Ratione Tincturæ indefinitum.

Vid. nostrum opus de auro. §. XXVII. p. 242.

Partus Virgine'

Mysteriũ Incarnationis.

tum

tum Virginis. Quod in Virgine debuit fieri, finitum uniretur infinito. Estque hic arcanum maximum *Kabalæ*. ם in Kabala naturali est radix, in qua tota Kabala physica fundatur. ם etiam in Kabala Spagyrica primam denotat originem materialem, ex qua Kabala Chemica manat. Mem hoc modo pictum ם in voce Almah medium sortitur locum, cum cœteroquin ita ם pictum sit finale, *c)* neq; in toto Biblicorum Codice reperis vocem, in qua ם hoc modo sit mediæ stationis, sed semper claudit vocem. Agnoscunt & hic Rabbini Mysterium, utut sinistre interpretentur. Sed cum simus admirantes & hoc mysterium devote venerantes, non nimis curiosè scrutantes, transmittimus hoc ipsum Theosophis expendendum, sufficit, hoc arcanum Kabalisticum irruisse. *Aggredimur itaque nostram Kabbalam Spagyricam*, *d*) quousq; hæc par-

ם Quid in Kabala.

c) Quidam hic *Mem* finale & clausum in medio verbo fuisse volunt, verum definiant hoc Philologi, qui circa linguas orienrales occupantur, nos nihil hic asserimus.

d) Kabbala Spagyrica, o utinam ad eam è Democriti puteo extrahendam omnem operam summumque conatum impenderemus: ad quod studium Dei auxilio opus, verum hoc Sanctuarium non patet, nisi verè pio.

partum virgineum adumbret. Noſter infans philoſophicus ex matre naſcitur virgine, quæ nunquam adhuc concubuit, vel venereo inquinamento coinquinata infectave, quæ & in ſuo genere Almah, cujus ſignum vel characteriſatio eſt ◻ & ſine ◻ iſta virgo non poteſt pingi, denotant & eam philoſophi per ſignum ▽ hyeroglyphicum veterum, quo & ſpectat ☿, de quo vide Monadem Hyeroglyphicam *Johannis Dee*. Vulgare Chemici etiam hoc ſigno denotant *Mercurium Vulgi*. Si etenim materia noſtra non eſſet adhuc virginali decore prædita, tunc utique tam nobilem partum non ederet, nec utique poſſet. Neque ſolum hæc materia ante partum Virgo eſt, quæ & omnem copulam reſpuit carnalem. Sed caſtitati ſe tota mancipavit, & ſi contingat, quod interdum converſetur cum procis, nullus tamen procorum ſe illi intimè ſociat, aut ſociare auſus eſt. Præprimis cum duobus procis familiaris eſt, ambo tamen ei tantam reverentiam exhibent, ut pudicitiam ne verbo vel & geſtu minimo tentare auſint. Quando ſeſe cum ea conjungere notantur, illa actutum ſe inviſibilem facit, aliſque

Mercurius Vulgi ſordet adeptis.

Proci ſe non poſſunt ſociare cũ noſtra Virgine.

ſuis

ſuis avolat. Has Sophiſtæ ei adimere laborant, & interdum eas ſibi ademptas eſſe ſimulat. Tuncque accurrunt Sophiſtæ, & cum ea volunt jungere. Quæ non ſunt ejusdem Regiæ proſapiæ, ut qua hæc virgo ortum ducit. Regi à primis ſuis incunabulis deſponſata fuit, ſed matrimonium non conſumatur, antequam gravida ſit facta, ſit autem gravida illibato Virginitatis flore, hæc animadvertens Rex, ſe tum demum ei jungit, & cum ea habitat. Hoc autem cumprimis admiratione dignum, quod pariat filium ſe ipſa nobiliorem. Et qui rurſus in ventrem ejus ingreditur, ac ex fœmina *Marem facit.* Filius philoſophicus non perfectus æſtimatur, niſi rurſum poſſit ſubire matris ſuæ uterum, ita autem eum ſubit locum, mater nihilominus maneat puriſſima Nympha, limpidiſſima Lympha. Sic etiam poſt partum adhuc integritatem ſuæ virginitatis ſervat. Nullibi in tota rerum ſublunarium univerſitate ullum occurrit ſubjectum, in quo ejuſmodi Characteriſmus poſt partum ſervatæ virginitatis occurrit, quam in hoc Magiſterio philoſophico. Pandit ſe hic adhuc aliud arcanum, nimirum Materia, quæ ad Magiſterium philoſophicum ſumitur

Sophiſtæ vane laborant.

Partus parentibus nobilior.

Virginalis flos illibatus.

tur & sumi debet, caret patre & matre. Ejus Genealogiæ nulla certa ratio potest iniri. Si aliqua mater ei tribuenda, orta est ex Centro quatuor elementorum, cujuslibet enim elementi characterismo sigillata est. Ita autem hunc characterismum habet inditum, ut nemo hanc sigillationem animadvertat, nisi Alchymiæ sacris initiatus, aut cui janua ad hoc arcanum arcanissimum sit reserata. Quamvis autem ex centro Elementorum dicatur orta, in sui tamen analysi, non in ullum resolvitur elementum, nisi duntaxat *analogicè*. Necesse autem foret in unum aliquod, si non in omnia quatuor, resolveretur. Nam ex quo quid constat, in id resolvitur. Imo quod & maximum est, Universa natura veram ejus analysin instituere non potest. Illi enim duo spiritus, quibus rerum analysin absolvit, ut puta, frigus & calor, nihil possunt conferre ad ejus resolutionem. Quamdiu itaque ejus analysis non patet, tamdiu & neque Matrem, ex cujus utero progrediatur, illi assignare quimus. Sicque coætanea est Elementorum genesi, illisque coæva vivet, donec tota vitrificetur Mundi machina in Mare Crystallineum, quod constituet novæ Jerusalem

Ortus materiæ philosophicæ.

Non resolvitur.

Calor & frigus duo spiritus.

Vitrificatio Mundi futura.

lem pavimentum, cui hæc civitas DEI inædificata, illa *Cœlestis Philadelphica.* Inquies forsan, quod Naturæ impossibile, hoc forsan arti possibile, ut quæ in multis naturam superat. Resp. in arte Magisterii philosophici tam varias mutationes subit, ut fere instar *Protbei* omnes formas induat, & in innumeras figuras se transformet. Nihilominus in ista diversa figurarum transmutatione vel & quædam Theologiæ mysteria adumbrat, vel etiam naturæ opera arcana arcanissima vivis coloribus delineat, eorumque operum genesin seu ætiologiam ob oculos tam evidenter ponit, ut solum ex ejus contemplatione perfectam physicam addiscere possis. Nullum tamen vestigium occurrit resolutionis in Materia, unde dignosci possit, cujusnam propriæ sit elementaris prosapiæ. Dices autem, Philosophi præcipiunt, si ignem in Magisterio philosophico regamus. Nulla contingat vitrificatio, vitrificatio autem præsupponit cinerem & salem, ergo necesse est, quoniam vitrificationis periculum effugere non potest, etiam sit salinæ & terreæ prosapiæ; sicque ejus materia detecta est. Resp. Vitrificatio illa, *e*) quæ con-

Quomodo hic Theologica Mysteria adumbrentur.

e) Vitrificatio in opere philosophico differt ab alia vitrificatione.

contingit in Magisterio philosophico multum differt à Vitrificatione communi. Diagnosin utriusque non hic apponam, ne forsan ex ea porcis concedatur aditus ad Margaritarum piscationem. Et illa vitrificatio solummodo metuenda est in principio operis. Quando enim columba in arcam intulit ramum olivæ, aquæ maximam partem exsiccatæ sunt, & videntur transmutatæ in lucis primigeniæ Symbolum. Et hujus Characterismum fert noster Rex stola candida amictus: Qua stola & primo glorificari voluit Christus in monte Thabor, antequam consummaretur ejus Divinæ Majestatis gloria. Ecce rursum typum alicujus Mysterii Theologici.) Tunc transiit periculum vitrificationis *f*), (2.) *Vitrificatio illa est reducibilis*, quod de vulgari Vitrificatione nobis promittere non possumus. Dicitur esse sine patre, quis pater posset dici. Sol & homo generant hominem. Solem generare ac instar patris materiam Magisterii philosophici, nemo facile afferet. Verum ex ea corpus aliquod generetur, quidem concurrit Sol. Materiæ autem Magisterii

Stola Regis candida.

f) Nullus ignis tunc tam fortis est, qui stolam Magisterii candidam, vel & ejus chlamydem purpuream vitrificare potest.

ſterii philoſophici geneſis non dependet à Sole, tanquam à patre, neque tanquam à matre. Sed eſt ſolius Dei creatura, quam immediatè in natura producit. Sicque materia Magiſterii Spagyrici eo modo, quo indefinitum cum infinito, cum perſona Filii Dei comparari poteſt. Ipſum autem Magiſterium philoſophicum (more loquendi humano,) adumbrat partum virgineum.

Magiſterium eſt ſoli⁹ Dei creatura.

Caput VIII.

Cap. IIX.

DE *MAGISTERII PHILOSOPHICI COMPARATIONE CUM CHRISTI RESURRECTIONE ET ASCENSU IN COELUM.*

CHriſtum Filium Altiſſimi verè fuiſſe mortuum, & verè ex mortuis reſurrexiſſe, conſtans eſt confeſſio Chriſtianorum. Et ei, qui huic articulo credit, vitam æternam promittit Spiritus Sanctus in Scriptura Sacra. Noſtri Theologi mortẽ Chriſti annumerant ſtatui inanitionis: ſe enim ipſum,

Chriſtus vere mortuus.

utut Deus vivus, omnipotens, omniſciens, omnipræſens, humiliavit ad amaram paſſionem, & crucifixionem in ligno crucis, qua crucifixionis violentia etiam vere mori, qua homo fuit (fuit enim verus Deus & homo) (Spiritus & corpus) (infiniti capax factum eſt finitum) coactus. Mortuus, ſepultus. Verum tamen in hoc differt ejus mors ab aliorum hominum morte, ſcilicet, quod corruptionem non viderit. Quando autem dicitur vere mortuus, etiam non dubium eſt, quia animæ à corpore facta fuerit ſeparatio, & ita ut inter hominem vere mortuum & CHRISTUM nulla fuerit differentia, quoad formale & materiale mortis. Formle mortis juxta *Ariſtotelem* conſiſtit in ſeparatione animæ à corpore. Materiale, vel ſubjectum mortis eſt omne corpus hominis, animalis, vegetabilis. Verè mortuum fuiſſe tradit Scriptura. Et verum fuiſſe hominem ex Maria virgine natum, adeoque mortalem, idem teſtatur cum Scriptura noſtræ Relionis Orthodoxia. Sed cum humanæ naturæ unita fuerit Divina, vel Deus homini unitus & modo quodam inſeparabili. Quæritur an in hoc ipſo mortis triduo adhuc verè affuerit Divina natura?

Mors Chriſti ab aliorũ morte differt.

Formale mortis.

Humana natura divinæ unita.

ra? videlicet an ille Christus in sepulchro vere mortuus jacens possit dici verus Deus? aut ita in abstracto & concreto de eo prædicari? Hic Christus verâ, utut mortuus, habet Deitatem, Deo Patri & Deo Spiritui S. coessentialem. Vel hic homo Christus mortuus est verus Deus Patri & Spiritui Sancto coæternus & coessentialis. Disceptant de hoc inter se Theologi; sed simplex fides hic optima. Apage hic omne Rationis humanæ (quam longe transcendit hoc Mysterium) scrutinium. Felix, qui hic simpliciter credit, & non scrutatur, quod scrutari vetat Scriptura, ut quæ simplicem fidem exigit. Nostrum autem Magisterium philosophicum, quousque indefinitum, infiniti mensuram attingit, videtur hunc solvere nodum. Et quidem in patrocinium sententiæ istorum Theologorum, qui statuunt Deitatem inseparabiliter humanæ naturæ unitam mansisse etiam in ipso mortis dominantis triduo. Nostri Magisterii Chemici materia, quando dicitur caput Corvi, & in veri cineris apparet forma, revera mortua est, & anima tota ex ea extincta & separata, nihilominus hac ipsa mortua terra vir-

Simplex fides exigitur.

Quomodo materia Magisterii mortua.

tutem resuscitatricem sic sibi habet unitam, ut naturæ artique omnino sit impossibile, hanc virtutem in hoc cinere resuscitatricem in totum extinguere aut annihilare. Et quemadmodum Christus in sepulchro vere mortuus quiescens animam ad corpus reversam cum corpore rursum uniit. Illa autem virtus uniens fuit ista Divinitas, quæ humanæ naturæ inseparabiliter juncta. Hujus respectu Christus dicitur propria virtute ex mortuis resurrexisse. Et in hoc ipso Christi resurrectio differt à resurrectione aliorum hominum, quos Scriptura commemorat resuscitatos, hi omnes virtute Deitatis, quæ humanæ naturæ unita, resurrexerunt. Istius etiam Deitatis virtute *Elias* & *Elisæus* excitarunt inque vitam reduxerunt mortuos, hacque Deitatis virtute omnes in novissimo die resurgent homines.

Qua virtute Christus ex mortuis resurrexit.


Qua virtute resurgem?.

Etiamsi anima in cadaver hominis infunderetur, tamen non esset efficax cadaver vivificare, nisi concurreret Deitas illa, quæ humanæ naturæ unita. Eodem modo (salvo Dei concursu) nostra materia artis Spagyriæ non reviviscere, nisi adhuc inesset vis resuscitatrix, quam activat Typhon Chemicus & calor ille blandus, quo hoc ovum philo-

philosophicum fovetur, & blandè incoalescit. Sicque & nostri Magisterii Sophorum materia potest dici, quod semetipsam mortificet, vitæque & quidem æternæ asserat. Non secus ac Christus propriæ Deitatis virtute humanæ suæ naturæ unitæ solvit nexum mortis, & triumphans resurrexit ac in cœlum ascendit. Pariter materia nostri Lapidis sua innata virtute (salvo Dei concursu) activante calore blando, sese vitæ ad instar Triumphantis asserit, & summum Majestatis philosophicæ gradum occupat. Nisi autem remansisset Deitas humanitati unita, etiam propria virtute non potuisset dici Christus resurrexisse. Ecce & hic luculentum testimonium istius Orthodoxæ sententiæ in hoc Magisterio physico arcanissimo.

Ovum philosophicum.

Materia philosophica resurgit.



Cap. IX.

CAPUT IX.

DE COMPARATIONE MAGISTERII PHILOSOPHICI CUM RESURRECTIONE MORTUORUM, ET REUNIONE ANIMÆ CUM CORPORE.

Athei oppugnant resurrectionem.

QVoniam Athei hunc Articulum impugnant, operæ pretium arbitror sit, & hunc articulum contra Atheismi ac Epicureismi proceres ex hoc nostro Magisterio Chemico defendam. Quomodo videlicet ex plantarum cineribus plantarum simulachra possint reduci & resuscitari, g) multa egregia probant Experimenta, quæ à multis diversis autoribus sunt annotata, & cum magna animi oblectatione leguntur, majori autem oculis nostris spectantur, quomodo nimirum exiguorum illorum corpusculorum populus admoto calore candelæ sese movens & suæ altæ quietis locum excedere ad centrum caloris incipit, ibiq; quasi ex jussu & ductu, quodlibet corpusculum sibi assi-

g) Vide nostrum opus de Resuscitatione Plantarum ex suis cineribus, quod inscribitur Phœnix Botanicus, Editum Hamburgi.

assignatam stationem appetit, seq; ita harmonicè uniunt, quæ sunt unius ejusdemque figuræ, ut ex illa unione, partes integrales plantæ formentur, non secus, ut dixi, ac si manu ad istum destinatum locum vel stationem parti illi, quam adumbrare debent, traherentur, & à quodam artifice collocarentur. Quæ redintegrabunt caulem, & hæc ad caulis regimen sese movent, quæ folia, ramos, pediculos absolvent, & istuc quasi ex raptu commeant, locumque sibi conformem occupant *b*): donec plantam eam juxta suam externam figuram formamq; repræsentent. Neq; etiam alia figura apparent, quam quæ plantæ, cujus cinis est, sit adæquata. Absoluto plantæ corpore inter corpuscula illa alta quies & otium est. Verum cessante calore hanc machinam corporis rursum destruit Naturæ Archæus, & corpuscula illa subsident. Ita ut præter inanem cineris cumulum nihil videas. Quid hoc aliud est, quam aliquod pulchrum præludium nostræ futuræ resurrectionis. Sicque in vitro videtur repræsentari campus ille ossibus mortuorum plenus, quæ sua corpora

Archæus Naturæ ita modificat.

Præludium Resurrectionis.

b) Calor est organum Archæi in Macrocosmo & Microcosmo.

ad jussum Prophetæ redintegrabunt, quam quidem historiam in solatium nostrum annotavit Propheta *Ezechiel*. Quoties hanc historiam lego, recordor hujus artificii Chemici. *Sed accedimus jam ad nostrum artificium*, vel potius Magisterium philosophicum *i*). Illud nostram Resurrectionem tam perfectè adumbrat, ut ne quidem ovum ovo sit similius. (1.) In hoc nostro Magisterio vera contingit mortificatio. (2.) vera dissolutio. (3.) perfecta corruptio. (4.) vera resuscitatio, vel Resurrectio, quæ consistit in reunione animæ cum suo corpore exstincto. Hæc etiam juxta recensitum ordinem cum homine peraguntur. I. Morbona corpus hominis tam diu impugnat, donec ejus systema patiatur animæ à corpore realem distinctionem & separationem, quod proprie, juxta *Aristotelem*, est mori, (sterben.) II. *Mortuum* corpus illico colorem suum vivificum immutat, pallescit, terrumque colorem induit, sicque etiam actutum particulæ dominio formæ specificæ solutæ & dimissionem à se invicem meditantur, actu compagem compositi solvunt. Et hæc est vera quædam

Morbona corp. hominis necat.

i) Magisterium philosophicum resurrectionem adumbrat.

quædam analysis. Quæ III. *Veram* corruptionem putrefactionemque inducit, quo actu corruptionis corpus in primam suam revertitur materiam, nam juxta canonem philosophicum, *ex quo quid constat, in id resolvitur.* IV. *Morti* autem suo tempore, quod solum ex Dei decreto dependet, succedet Resurrectio, qua ex pulveribus suis & dormitoriis suis resurgent corpora perfecta, glorificata. Hujus autem resurrectionis formale consistit *in reunione animæ cum corpore.* Nunc hujus comœdiæ actus & scenas, quas Vita, Mors, & Resurrectio ludunt in Magisterio philosophico demonstraturi sumus. 1.) Philosophi in suo Opere Mystico omnium primo volunt videre mortificationem veram & realem: Materiam enim illam philosophici Lapidis constituunt materia & forma, vel duo corpora, quæ sunt corpora, & tamen etiam sunt *animæ & spiritus* k). Licet nunc forma sit complementũ compositi ultimũ, nihilominus hoc complementũ debet fieri corp9 vel essentia quædã incompleta, i.e. quod dicunt sapientes: *Materiam suam esse convertendam in suum chaos*, ut exprimat & adumbret illud inane & vacuum

Corruptio corporis.

Resurrectionis formale.

k) Magisterium philosophicum circa animam, spiritum & corpus occupatur.

Mosaicum, nullusque amplius completæ substantiæ appareat characterismus, utut ante dissolutionem, perfectum, absolutum, completumque fieret corpus, cui & Philosophi perfectissimam tribuunt signaturam, quæ luculentum testimonium de ejus perfectione perhibet. Hoc inquam perfectum corpus in illam materiam, ex qua ducit suam originem, convertendum est. Ista autem conversio fit per modum reductionis. Veræ enim Adeptæ Philosophiæ scrutatores materiam suam primo reducunt, antequam reduxerint, satagunt, quæ operatio est inversa. Ista autem philosophorum reductio proprie in se spectata est aliqua mortificatio. Periodum etenim vitæ & necis attingit. Neque etiam posset fieri philosophica solutio, nisi materia vere esset mortificata, quam mortificationem nominant radicalem solutionem, hæcque talis solutio est, in quâ pristinæ formæ corporis elegantissimi nulla amplius apparent vestigia. Talem solutionem radicalem nullo modo vel artificio facere possunt Sophistæ, 1) quin Spagyriæ Professoribus possibile est, materiam

Corpus in materiam reducendū.

Reductio quid.

1) Sophistæ nil tale quid queunt & intelligunt.

riam hanc apparenter mortificatam, possint in pristinam vitam reducere. Veri autem Philosophi suam materiam mortificatam audent exponere Sophistis, ut eam reducant in pristinam formam. Verum sicut homini impossibile est, canem mortuum in vitam resuscitare, eodem modo etiam Sophistis impossibile est, materiam philosophici operis mortificatam ex suis resuscitare cineribus. Veri Adepti ex gratia divina suam materiam mortuam actu in chaos reversam, quod *Chaos Tohu Vabohu Mosaicum repræsentat*, in vitam prioris vitæ statu nobiliorem revocare queunt, & qui non credunt hanc materiam vere esse mortuam, hi orent Deum, ipsis hoc arcanum aperiat, & ex eleganti sua materia limum quendam in Limbo quidem existentiæ, sed sub formali nihili apprehensivi quiescentem habebunt, quod per nullam diagnosin aliter cognosci potest, quam quod sit verus aliquis limus Limbi incompletorum corporum. Sub quo formali semen bovis est in fœno, sub eodem formali hic limus in Limbo est incompletorum Entium. Propius! sub quo formali cadaver hominis est in sepulchro, & quidem in limbo illorum corporum, ex quibus

Veri Adepti quid queant.

Limus Limbi.

Limus philosophicus.

quibus poteſt fieri quodlibet. Viciſſim hic limus philoſophicus eſt in limbo corporum, quæ apta nata ſunt, quamlibet induere formam, non ſecus, ac cera, omnium ſigillorum impreſſionem ſuſtinet. Quod ergo Limus ille Philoſophicus vere ſymbolizet cum cadavere hominis, nullum dubium. 2.) *Non ſimpliciter* materia philoſophica moritur, ita ut vera fiat animæ à corpore ſeparatio, ſed & mortua, ut cadaver hominis vel beſtiæ prorſus omnino diſſolvitur, & eſt ſecunda in hoc opere periodus. 1.) Materia verè moritur, 2.) diſſolvitur; Hanc diſſolutionem 3.) ſubſequitur vera putrefactio & corruptio. Illam autem contigiſſe ex diagnoſi corruptionis, quam inferemus, pateſcet. Res vel corpus corrumpi dicitur, quando illud plenè immutatur, quoad extrinſecum colorem, & exhalationes putridas fœtidasque emittit. Quæ exhalationum emiſſio evidens putrefactionis argumentum eſt. Color etiam nigreſcit & inamœnus eſt. Hæc ſigna putredinis etiam ſunt in noſtro Magiſterio Sophico. Quippe materia noſtra philoſophicè juncta, & in eam blandas ſuas Atomos calorificas inferens Vulcanus, illico putreſcere incipit,

Putrefactio & corruptio ſubſequuntur mortem.

patitur

patitur primo blandam analysin, donec tota abierit in pulverem, quovis flatu facile dissipabilem, qui cinerem refert, & terræ aliquem limum. Successu temporis nigrescit, & nigra facta, tunc in illa consummata est putrefactio & commoda corruptio. Hanc materiam denigratam Philosophi variis insigniunt nominibus. Dicitur vel *caput corvi*, vel *nox atra*, *Cadaver Rufi Juvenis*, cujus COR Aquila exedit. Tribuunt & ei fœtorem cadaveris, qualis exhalat ex sepulchris vel dormitoriis mortuorum, hoc autem non de sensuali, sed intellectuali fœtore intelliges. Sicque materia philosophica in tali statu posita, est revera in rerum mortuarum limbo. Et actu est limus mortuus, qui nullum vitæ indicium præbet, sique in manum sumas, eam collutulat non secus ac ater pulvis, & in hoc suo statu inanitionis vel absolutæ corruptionis aliquod permanet menses. Successu autem temporis talem mutationem patitur, quæ omnem humanam rationem superat. Niger ejus color in cineritium vel griseum transit, colores quoque varii sese repræsentant, sed cito rursum dispa-rentes. Horum colorum mixturam salutant philosophi caudā pavonis. Quemadmo-

Pulvis flatu dissipabilis.

Vid. nostrum opus de auro, §. XIII. p. 50. 51. 52. 53. 54 55. 56. 57. 58. 59.

Limus mortuus.

Diversi colores quid innuant.

admodum nigredo illa fuit signum materiæ vere mortuæ & corruptæ; sicque apparitio diversorũ colorum indicium præbet appropinquare vernum tempus, delitium anni primum, & quod jam materia velit excedere *Limbum mortis*, & ingredi in *Limbum* vitæ. Corruptio præcedit generationem. Corruptio cadaveris humani præcedit resurrectionem. Nisi Triticum in terra putrescat, non fert fructum. Est ipsius veritatis effatum. 4.) *De resurrectione* nostræ materiæ jam differemus. Instare autem materiæ nostræ benignius sortis fatum, lætioremque periodum, probat diversorum colorum ingruentia.

Aurora in opere quid?

Raro diescit antequam aurora diversis in aëre ludat coloribus. Et quemadmodum alta atraque nox non illico transit in fulgidissimum diem, cujus medio Sol supremum gradum ascendit, sed successive diescit, primo crepusculum appropinquat, post aurora alis suis aureis rutilans advolat, solemque annunciat, lucemque candidam præsagit. Simili modo in Magisterio *philosophico* progreditur naturæ artisque Archæus. Modo atra non illico candescit, sed primo progreditur ad alium colorem, spe resurrectionis plenum, & tingit ma-

teriam

teriam *Archæus artis* colore quodam, pallido. Sicque dicitur recedere *Saturni imperium*, sub quo fuit materia denigrata. Et hoc est quod Philosophi dicunt sese laborare in *Saturno* ♄. Exq; hoc principio claudum eum fingunt Hermetici, exque eadem causa dicitur devorare suos filios. Imo & tum temporis nostra materia est in Limbo *Antimonii Olympici.* Hoc absoluto circulo *Saturni* vel *Antimonii*, Jovis appropinquat imperium, sicque materia nostra fit similis *calcinato* Jovi, vel cineri stanni, & hic calor cineritius stanni calcinati est primus prodromus resurgentis materiæ, & jam appropinquantis veris philosophici indubitatum præsagium, infallibileque Vaticinium, sicque non solum diescens tempus refert Magisterium Sophorum, verum & præterea, quatuor anni partium mutationes periodicas exprimit. O quam sacrum nostrum opus philosophicum, quod in cursu suo totius universi creationem, pulcherrimam naturæ ordinem exprimit, non secus ac aliquis pictor in imagine aliqua harum rerum ideas depingat. Imo & nulla rerum genesis fit, cujus non hic sit expressa aliqua idea. *Tota rerum universitas nullum omnino habet*

Saturni imperiũ.

Jovis imperium.

Magisterium & quatuor anni partes exprimit.

bet opus, in quo tot Mysterii Theologiæ ideæ, totque naturæ operum pulcherrimique ordinis chamcterismi & signaturæ. Perseverat & suum tempus in isto cineritio colore, sicque gradatim & pedetentim procedit, si artifex prudenter, i. e. blande regat ignem. Ab omni enim violento abhorret natura, abhorret ars, cumprimis divinum hoc Magisterium philosophicum. Et sic hic bella artificii cum natura Harmonia. Porro sicut post diluculum dies plene è tenebrarum peplo, cui fuit lux quasi immensa, emergit, candidaque appropinquat lux. Simili modo Magisterium philosophicum Jovis, i. e. tempus primi diluculi, imperium excedit, & magis magisque albescere incipit, ut colore suo referat candidam lunam, sed ut illa per suarum phasium periodas accrescit, sic etiam accrescit Magisterium, proficitque in candore. Hujus respectu dicunt artifices sese laborare in Luna. Magisterium nostrum jam dealbatum videtur repræsentare ideam temporis creationis triduani, quo terram illuminavit primæva Lux, antequam *Sol* vel *Luna* illa duo magna luminaria existerent. Integrum enim triduum Lux absolvit sine solis adminiculo.

Op' philosophicum pulcherrimum.

Bella naturæ & artis harmonia.

Labor in Luna.

niculo. Ab hoc gradu jam progreditur ulterius, candidumque colorem vel stolam candidam exuit Rex, urgente vulcano, & inclinat in fulvum i.e. tempus illud; quando Sol primo ex aquis emergit, *m*) videntur cuncta flavo colore tingi, sed in hoc colore exiguum temporis spatium est, hujusque respectu venus est Philosophorum materia. Huic flavo colori succedit prima Rubedo, hæcque Marti sacra. Et huc pertinet commune dicterium Sophorum. Non novit artem, qui non fovit Martem. Sicque mars est proxima materia lapidis. Ultimo Sol in horizonte nostro culminare incipit, tunc summa & plena Rubedo adest, Rexque orientis natus triumphat. Tuncque plenè ex mortuis resurrexit Lapis. Quomodo quasi per gradus lapis noster ex mortuis resurgat, hoc loco demonstravimus, pulcherrimum hic speculum nostræ futuræ resurrectionis heic habemus. Corpus autem nostrum non potest resurgere, nisi Deus gloriosissimus, animam, quæ est spiraculum vitarum, in cadaver infundat. Qui autem illa animarum in cadavera infusio

Non novit artẽ, qui non novit Martem.

Anima in corpus infundi debet.

H fatu-

m) Tempus Solis ex undis emergentis. Vide Rhenani Symbolum.

futura sit, in visione aliqua vidit *Propheta Ezechiel.* Illaque reunio animæ cum suo corpore, (dico cum suo, quælibet enim anima dictu Dei in suum remeabit corpus, illudq; vivificabit, sicque *Hilarius* in Resurrectione non recipiet animam *Athanasii*, sed quodlibet corpus suam animam) est primarium Resurrectionis formale. Defunctorum animas in suo limbo, usque ad prædestinatum tempus asservari, nullum dubium. Magisterium philosophicum, cujus nigredo creationis simulachrum, etiam non reviviscit, nisi ei reddatur sua anima, i. e. quod Philosophi præcipiunt, abluere *Latonem*, illa ablutio Latonis, animam in corpus suum refundendo, fit. Et quam cito illa reddi incipit, ex veterno suo quasi suscitatur Rex, & ex eo excitatus stolam candidam induit. Rex stola candida indutus redemptionis negotium, quod candida innocentiæ veste & illibatæ sanctitatis tessera ornatus absolvit generis humani Redemptor. Anima plene corpori unita, lapis ad supremum perfectionis gradum ascendit, tunc optima purpura ornatus, sicque intense rubet mixta admiranda pulchritudine, ut cum ea nulla purpura comparanda.

Abluere Latonem quid?

Stola candida innocentiæ testimonium

Lapis

Lapis in hoc ſtatu conſtitutus Myſterium ſanctificationis, (omnia enim metalla ignobilia in aurum convertendo ſanctificare dicitur, aurum cum Thure & Myrrha infanti Jeſulo ſacratum eſt, quoque Divino cultori ædibusque ſacris ornamento eſt, & materia vaſorum ſacrorum.) Imo & conſummatæ creationis exprimit. Neque male dicitur, quod & ſtatum corporum glorificatorum exprimat. Sicut enim illa ab omni ſorde elementari mundata, quibus nihil inquinamenti amplius adhæret; ſimiliter & lapis noſter in ejusmodi dignitatis gradum exaltatus eſt, puriſſima & mundiſſima ſit eſſentia. Corpora glorificatorum ſunt æterna, neque unquam anima ab eis tolli poteſt. Lapis noſter etiam æternus eſt, nec unquam hæc duo unita à ſe invicem ſeparari queunt. Corporibus glorificatis tam ſpiritualis, quam corporea natura propria eſt, neque hæ ſibi invicem obſtant, vel etiam operationes impediunt. Sic & lapis noſter ſimul uno eodemque tempore & corpus & Spiritus eſt. Corpus quoniam ſenſibus percipitur, Spiritus ratione penetrationis; corpora enim metallica & humana inſtar fulminis penetrat, & ab omni ſorde

Corpora glorificata.

Quæ in lapide unita, unita manent.

morbifica mundat. Sicque Lapis est spiritus & corpus, quod & corporis glorificati idioma. Qui itaque vult videre ideam resurrectionis concentratam (ipsa enim Natura mille luculenta exhibet testimonia) huc oculos animumque convertat.

Cap. X.

CAPUT X.

DE COMPARATIONE MAGISTERII SOPHORUM CUM HOMINIS REGENERATIONE.

MEmorabilem Christi cum Nicodemo sermonem de hominis Regeneratione institutum apud Evangelistas legimus. Utplurimum autem hominis Regeneratio in hoc consistit, ut quemadmodum carnali modo homo nascitur Adamo peccato originali inquinato n) similis, sicque fomitem malitiæ suo cordi habet insertum ex connata labe & impuritate, cujus instinctu nil nisi malum, & quod Dei legibus contrarium, facit. Sicque per Baptii-

n] Peccatum originale, quo omnes homines infecti nascuntur.

Baptiſmum Lavacrum regenerationis in matriculam Chriſtianorum inſeritur, huicque Dei Chriſtique & Spiritus S. confœderatorum fœderi inſertus. Vigore hujus adoptionis, & virtute Baptiſmi, quo tinctus, auditione verbi Dei, continuis ad Deum fuſis precibus, ut Spiritus Sanctus aſſiſtat, *o*) omnem omnino movebit lapidem, ut ſicut Baptiſmi ablutione infans regeneratus, vel aqua lavacri ſacramentaliter mundatus, ſic & adultus ſeſe in Spiritu regeneret. Hoc eſt, ex aqua & Spiritu renaſci. Cum hac hominis regeneratione per aquam & Spiritum optimam convenientiam habet noſtrum Magiſterium philoſophicum. *Primo* reſpectu materiæ, ad regenerationem hominis duo concurrunt *Aqua* & *Spiritus*, aqua eſt quidem Elementaris materia; verum Spiritus eſt Spiritus ille Sanctus tertia SS. Trinitatis perſona, quæ utens infinitum, omnipotens, & independens conſiderata non ad noſtrum opus aliter ſpectat, vel cum eo comparanda venit, quam quod ſit Dux, Lux, & autor hujus admirandi Magiſterii Diviniq́ue operis. *Aqua* etiam in noſtro Ma-

Aqua & Spiritus.

 giſte-

o) Homo renaſcitur per baptiſmum, & ſic fit Chriſtianus.

Aqua primariũ in opere Elementum.

gisterio primarium agens. Nam ex aqua philosophica lapis noster educitur per modum quasi reductionis, sulfur etenim, quod est loco formæ in hujus compositi philosophici constitutione, reduci etiam debet in aquam, antequam autem hoc sulfur huic operi possit adhiberi, sic purificandum est ab omni coñata vel adscititia impuritate, ut prorsus expers sit omnis inquinamenti, sic mundatum jungitur aquæ, eique junctum beneficio Spiritus Vulcani renascitur, & in aliam Essentiam prima nobiliorem convertitur. Eodem modo homo, qui regeneratur, primo ablutionem à sorde originali in Baptismo patitur, postea quando per Spiritum regeneratur, fit quasi nova creatura primi prorsus dissimilis, sicque respectu formæ & modi operationis philosophicæ quædam comparatio institui potest.

Lapis sua materia, ex qua nobilior.

Lapis noster cum priori sua substantia, ut qua factus, nullam habet convenientiam, sed essentiam multo nobiliorem, quasi nova creatura facta est. Eadem Metamorphosis contingit in hominis regeneratione, in qua lucta vetus moritur Adam, & novus homo nascitur, & nisi hoc fiat, non potest fieri hæres vitæ æternæ. Et

sic

sic hoc nostrum Magisterium regenerationem quoque quodammodo refert, & cum hoc Mysterio elegantem habet convenientiam.

CAPUT XI.

Cap. XI.

QUOMODO LAPIS PHILOSOPHICUS POSSIT DICI UNIVERSALIS.

HUcusque per decem capitula de comparatione Lapidis Philosophici ejusque Magisterii cum quibusdam Theologiæ Mysteriis actum est. Hoc capite ultimo, quod ordine undecimum, quomodo Lapidi Philosophico hoc competat prædicatum, quod audiat Universalis, disquiremus. Antequam autem hoc aggrediamur Thema, operæ pretium est, *primo contra Cavillatores*, hanc nostri Magisterii cum Theologiæ Mysteriis comparationem muniamus, quædam autem jam ante ad ejus defensionem adduximus, quæ si conferantur cum iis, quæ de eodem argumento in *nostro Catone Chemico* disseruimus, plenam Apologiam contexere licet. Illa Magisterii comparatio

Lapis, quomodo dicatur universalis.

cum Theologiæ Myſteriis 1.) innititur fundamento naturæ: Hæc enim ejusmodi Characteriſmus inſtantia, qui non duntaxat aliquam *Dei exiſtentiam* reliquos articulos quodammodo aſſerere videntur, inveniunturque multi eruditi viri, qui ex his characteriſmis rerumque ſignaturis & phænomenis quandam Theologiam naturalem curioſa concinnarunt methodo. e. g. *Alſtedii* Theologia naturalis, *Muſæi*, *Oſiandri*, & aliorum in hoc commate Scripta. 2. Habet & hæc comparatio ſuum fundamentum in Scripturæ codice. Deus ſemetipſum comparat cum igne abſumente. Chriſti incarnationem, crucifixionem, exprimit Sylva urens, viſa tamen absque deflagratione, hoc ipſum viſum Theologi de ejus incarnatione interpretantur. Serpentis Ænei exaltationem ipſe Paulus Doctor Gentium ad Chriſti Crucifixionem applicat. Chriſtus ipſe in multis ad naturalia provocat, & ex iis quædam in ſuorum dogmatum illuſtrationem mutuatur exempla, imo & ſuum adventum ad judicium cum furis nocturni irruptione comparat, quidni ergo comparare liceret cum ejusmodi Magiſterio, quod totum ſua natura ſacrum & Divinum.

Dei Exiſtentia.

Magiſterium ſacrum & divinum.

Divinum. 3.) Huic nostræ comparandi methodo magna accedit autoritas, quod *Johannes Arends* Mysterium incarnationis Christi, de quo ipse altas quasdam meditationes conscripsit, comparet cum Lapide Philosophorum. Verba illa legi possunt in dicto libello. *Weigelius* p) totam suam Theologiam, quam nostrates Theologi merito refutant, ex hoc arcano opere, sed non Duce Scriptura Sacra, deduxit, qui nunc hujus Magisterii nullam habent notitiam, hi contra *Weigelium* insurgunt: inter alios mascule se ei opposuit Thummius noster. Quod autem hic *Weigelius* fuerit Adeptus, claret ex contextu suorum scriptorum, in quibus hujus Spagyriæ multa occurrunt vestigia, cumprimis ubi de morte disserit. Dicitur quoque *aureum vellus* conscripsisse, & quendam *Tractatum de Azoth*, qui libri rarissime comparent. In *Jacobo Böhm*, Philosopho Teutonico q) etiam multa legi possunt, quæ ex Magisterio hoc emanant. *Gerhardus Theologus nostras* in præfatione suarum meditatio-

p) Weigelius Scriptura Sacra abusus, nil contra SS. Scripturam asserendum.

q) Jacobi Böhmii Scripta cum judicio magno legenda, à Calovio fanaticis annumeratur, præstat iis abstinere.

num etiam Lapidis Sophorum meminit. Præterea solenne est Adeptis, ut in suis Scriptis ejusmodi comparationem, magis pietatis Zelo, quam alio argumento impulsi instituant. Vide, quæso *Jani Lucinii*, Calabri Theologii Minoritæ Scripta & Collectanea Chymica, ut & autorem *Hydro Lithisophici*, Wasserstein der Weisen/ vel aquarii Philosophorum. Et plura hujus farinæ, occurrunt exempla in Theatro Chemico. Sique etiam expendamus pietatem Adeptorum, cujus præclara dant specimina, oportet fateri hos homines agi instinctu Spiritus Sancti. Verum dices, dubium est, an tale Magisterium in rerum natura existat. Ast hoc argumentum jam supra expendimus. Sufficiat verò duntaxat hoc juramentum, quod quidam Adeptus ad asserendum Lapidem Sophicum his concepit verbis: Denn ich NN. schwere auff die letzt meinen Hinschafft/ und will darauff sterben/ Daß diese herrliche/ würdige/ und Göttliche Kunst recht und warhafftig erfunden werde. Tantum monere volui loco Apologiæ nostræ comparationis istiusque Lapidis Philosophici. Transimus jam ad propositum Thema, quod rubrica hujus capitis exprimit. Hujus Lapidis

Pietas Adeptorum.

Juramẽtum magnum, vide cap. IX. Catonis Chymici.

dis universalitatem per suos articulos demonstrabimus: Illa autem universalitas vel est *vera*, vel etiam *analogica*. De vera primo aliquid dicemus: Ista autem vel respicit ejus operis initium, vel & operis absoluti complementum. In utraque magna apparet universalitas, quam hoc loco sumus expensuri. Lapis hic noster dicitur universalis. 1. Ratione naturæ, quæ ejus ingreditur constitutionem: Hanc enim dicunt 1.) vegetabilem, 2.) Animalem, 3.) Mineralem. Non quod actu ex vegetabilium classe aliquid in hoc nostrum Magisterium recipiatur, quod possit esse vice materiæ, attamen vegetabile regnum suppeditat, quæ pertinent ad materiam Magisterii præparandam, partim huc respiciunt Philosophi, quando suam materiam vocant vegetabilem, licet & alio sensu vegetabilem dicant. *Vegetabilis* est, quoniam ad instar plantarum incrementum sumit; ejusque genesis progerminationi plantæ apprime similis est. Planta ad suam progerminationem requirit semen, nam sine semine nulla omnino oritur planta. Sic & noster Lapis suum habet semen. Plantæ semen antequam fructum posset ferre, necesse est, terræ deman-

Universitas duplex.

Universalis ratione materiæ.

Quomodo Vegetabilis?

mandetur; semen philosophicum etiam suam requirit terram, in quam seritur. Semen plantæ totalem subit corruptionem, ita ut prorsus emori videatur, nec vitæ ullum vestigium adest. Semen philosophicum suæ terræ commissum etiam moritur, corrumpitur, tamque informe fit corpus, ut potius simulachrum sit illius Mosaici Tohu Vabohu. Quis tam argus, ut semen terræ commissum & in totum vel putrilaginosam materiam dissolutum possit dicere hoc esse verum Tritici, vel alterius vegetabilis semen, nemo utique. Loco enim seminis videt mucosam quandam materiam putridam, quæ fotu Solis fota, pluvia vel rore nutrita, tandem primum aliquod rudimentum suæ progerminationis ponit. Hoc rudimentum indies incrementum sumit, attamen illa accretio tam paulatina est, ut sit, quasi atomus atomo accumuletur, donec tandem ex harum agglomeratione primo radicum systema ponatur, hoc fundamento jacto, etiam plantæ primitiæ è terra proserpunt. Quando autem istæ plantæ primitiæ sic in ortu accretionis sunt, blando fotu Solis, & irrigatione roris indigent. Hoc fine ver præcedit æstatem, ne æsti-

Semen philosophicum.

Rit^9 germinationis.

vus

vus calor has primitias adurat. Omnia hæc etiam locum suum sortiuntur in nostro Magisterio, semen philosophi cum terræ suæ vel ovo philosophico commissum totaliter moritur, solvitur, & in putrilaginosam redigitur materiam, quæ nullo modo ab summo intellectu amplius potest dignosci, quid jam sit, vel quid olim fuerit, vel etiam futurum sit, non secus ac si os cadaveris inspiciens, dicere non potes, esse illud corporis puellæ elegantis, utpote *Thaidis*, vel & deformis fœminæ. Nec plus valet intellectus humanus in diagnosi promenda istius materiæ philosophicæ, quam in opus suum sumserint, vel & sumere jubent Philosophi. Materia enim atra est cadaverosa, & etiam cadaver suum, vel mucum suum, aut Chaos, Hylen illam appellant Philosophi. Proinde etiam in hoc statu materiam suam positam horrendis insigniunt nominibus, ut sunt, *Tenebrarum chaos, tenebræ, umbra*: communissimum nomen est, quod dicatur nox illunis atra philosophica, vel & caput corvi. In hoc statu deformi diutissime perseverat, & quemadmodum hunc suum statum inanitionis non subito deserit, sic & gradatim ad eum progreditur. *Primo* pau-

Quomodo semen philosophicum putrescat

Omnia idem pulvis.

Cadaver philosophicum.

Nox illunis philosophica.

Obtenebrascit paulatim

paulatim obtenebarscit, donec tota fi[t] denigrata, non secus ac lux diurna circa vesperam magis magisque declinare videtur, & primo ingruit crepusculum, cui tandem atra succedit nox, sole enim aquis inverso post crepusculum ingruit nox. Sic etiam materia philosophica per gradus ad totalem sui tendit corruptionem & dissolutionem omnimodam, qvum dicunt solutionem vel analysin philosophicam. In

Quomodo ex tenebris ad lucem redeat.

isto tenebrarum statu perpetuo maneret, nisi intrinsecus ejus Archæus blande à Vulcano vel igne solis prole foveretur, pluviaque philosophica irrigaretur. Dico blandè foveri debet, ut pari graduatione, qua corrupta, reviviscat, in qua reviviscentia & sui sunt gradus; quando etenim pervenit ad summæ nigredinis fastigium, tunc reviviscit, attamen, ut dictum, paulatim successiveque, suæq; reviviscentiæ (ut in plantæ progerminatione est radificatio) primus gradus est, quod cinerescere incipiat, quæ incinerationis coloratio & diutina est, & quo tardius illa procedit, tanto melius succedit Magisterium. Ut autem illa lentè procedat blando fotu sæpiusque repetita irrigatione opus est. *Nom.* Hyemi succe-

da[t]

ĉat *VER, minime æstas*, hunc pulcherrimum ordinem si natura invertere posset, actum foret de omnium viventium existentia. Hujusque respectu materia philosophica est vegetabilis, simulque universalis. Similimodo & animalis dici potest, non quod aliquid ex animalium familia constitutivè ingrediatur in opus philosophicum, licet præparativè aliquid ex animali desumptum fit necessarium. Mineralis audit, quoniam ista familia in sinu suo fovet illa, quæ constitutivè & præparativè requiruntur. e. g. ⊖ 🜔 & ☿ &c. Si respicimus ad Elementa, & cum iis bellam quandam harmoniam habet noster Lapis, ut etiam horum respectu universalis possit dici. Occurrit hic tanta illarum rerum copia, quæ non duntaxat Elementa, horumque seriem referunt, sed præterea istorum operationes exprimunt. Haud etiam nostri instituti ratio permittet cuncta illa, cum quibus noster lapis concordat, prosequamur, potiora attingemus. Quemadmodum autem rerum sublunarium tripartitum systema non potest existere, vel & existens conservari naturaliter sine elementorum concursu. Hoc enim ipsis sunt materia, ex qua orta;

Gradus in anno ratione caloris & frigoris.

Quomodo animalis audiat.

Quomodo mineralis.

Tripartitum rerũ systema sublunarium.

ta; materia, qua nutriuntur; materia, in quam ultimo resolvuntur. Dico, Materia, ex qua oriuntur, quale enim corpus naturale in toto rerum sublunarium systemate, quod non radicem suæ existentiæ in Elementis habet. Ex iis nutritur, & denique in illa resolvitur. Neque solum hoc de Elementatis verum, sed etiam ipsa elementa à se invicem sic dependent, ut binarius numerus ab unitate. Sic & Elementa suam habent radicem in Aqua, Aqua etenim primum fuit elementum, quod post eductionem ex nihilo omnium rerum genesi, sive illa se habeat ad omnipotens Dei verbum, Fiat! sive ordinario naturæ cursu perennat, substratum. Nec minus illa sibi invicem nutrimento sunt. Aqua fovet terram, vivificatque irrigando & humectando. Aër suppeditat materiam, hic enim nihil aliud, quam aqua attenuata. *Ignis* etiam terram suo blando calore fovet, & rerum in terra genesin promovet, quæ torpesceret, prorsusque emoreretur, nisi Elementa sibi invicem hic quasi per circulum succurrerent. Hocque modo & quatuor Elementa statui possunt, dummodo illa dividamus in corpora & Spiritus. Elementa corporalia sunt

Omne corp⁹ radicem in Elementis habet.

Aqua substernitur omnium rerum genesi.

Aër.

Ignis quid præstet.

ſunt terra & aqua: ignis & aër autem pertinent ad ſpirituum familiam. Accedemus jam ad noſtrum Magiſterium, in hoc occurrunt quatuor illa Elementa cum ſuis operationibus. Philoſophi enim requirunt ad ſuum opus aquam & terram, i. e. Sulphur & Mercurium. Ex horum duorum in ſe invicem converſione terra debet reduci in aquam, ex qua primitus orta, & aqua ſucceſſu temporis debet converti in terram. Et hoc ipſum volunt, quando dicunt: Fac fixum volatile, & volatile fixum. Fixum eſt terra, volatile eſt aqua, & hæc in ſe invicem mutabuntur. Aërem indicant, quando ajunt, quod ventus in ventre ſuo portaverit, ventus proprie nihil aliud eſt quam agitatio aëris. Hæc omnia peragit ignis, qui admovetur, & hic intrinſecum ignem philoſophicum excitat, ſicque claret, quomodo in opere Philoſophico tota Elementorum natura, œconomiaque ſeſe repræſentent, & quod hoc ipſum opus ſit quaſi idea univerſæ Elementorum œconomiæ. Si expendimus colores, quibus materia in igne figitur, etiam jure univerſalis dici poterit, nullus enim color ſub ſole in aliqua exiſtit re, qui non ſe

Terra ex aqua orta.

Ignis philoſophicus.

Omnes colores in Magiſterio.

manifestat in Magisterio. Color primus est niger, atræque noctis gerit insignia, hæcque æthiopico colore atro diu ferret discipulum artisque filium. Quidam Gallus Scriptor scribit, caput corvi quidem durare sex septemve menses. Huic nigredini evanescenti succedit cauda pavonis, vel colla anatum & columbarum, cumprimis aliqua viriditas conspicua est. Fundamentales colores sunt ater, albus, & ruber, qui cæteroquin accedunt, horum nulla habenda ratio. Omnium liquidissime claret hujus lapidis universalitas, si repetantur ea, quæ diximus in comparatione nostri Magisteri cum Theologiæ Mysteriis. Nullus omnino fidei articulus, quo cum non symbolizet hoc divinum opus. Cumprimis Resurrectionis, Regenerationis & Glorificationis arcana in hoc nostro arcano videntur aliquam sortiri ideam, ut quodammodo ad actum pateat, quomodo hæc Mysteria sese habeant. Si ab hinc convertamus oculos ad Meteorologiam, hæc sola quasi ideata est in hoc Magisterio. Denique universalis est, si respicimus projectionem, omnia enim metalla in purum putum aurum obrizum convertit, & quod maximum est,

Quinam colores fundamentales

Quomodo hoc Magisterium symbolizet.

Meteorologiã adumbrat hoc Magisterium.

est, hanc suam tincturam in infinitum extendit. Omnium etiam morborum & incurabilium dicitur panacea. Ex his hactenus allatis patet, hunc Lapidem rectè dici universalem. Et sic nunc concludimus hunc nostrum de Universalitate Lapidis Philosophici discursum, simulq; finem huic tractatui imponimus, quem solum eo conscripsimus fine, ut Lapidis istius mysticam naturam & sublimitatem demonstraremus. Propositum nostrum non est, hic integrum docere Magisterium, Magisteriiq; Methodum, hæc & talia aliunde hauriri possunt. r) Antequam autem concludo Me converto ad TE Anonyme, qui scripsisti contra autorem Tumbæ Semiramidis, opusculum hoc tuum magnifacio, & in ipso TE veneror! sed neque vitio mihi vertes pauca illa, quæ dicam; ut mihi videtur, nullam habuisti causam. O Charissima anima hunc autorē refutare laborares, omnia ea, quæ scripsit, si recte interpretemur, magisterio nostro concordant,

 admi-

r) Quare hic tractatus conscriptus. Non eo fine, quasi hinc Mysteria Theologiæ probare annitamur, ut quæ non humano indigent testimonio, quippe non male aliquis ita scribit: Verbum Dei, Lux, & Effata Spiritus S. Christus vita non admittit Humanam lucem. Solus Christus via, veritas & vita.

admiſcuit quidem aliqua veris falſa, ſed credo feciſſe ad abarcendos porcos, ignavos malosq; fucos; interim credo, ſalvo Tuo judicio, cui nihil derogatum volo, ipſe autem aſſurgo meq; ſubjicio, hunc autorem fuiſſe Adeptum, vel ad minimum proxime in hoc palatium aſcendiſſe. Sunt alii nequiſſimi ſophiſtæ, inter quos Arthelius peſſimus, qui merentur virgulam cenſoriam, ſed deſino, Vale Tu dilectiſſima anima! & triumpha cum hoc tuo arcano, Deusq; à Te omne avertat malum, diutiſſime Te incolumem & ſoſpitem conſervet; & tandem cœleſtis patriæ civibus Te ſociet! *Vos omnes Adepti valete, florete, & dono hoc veſtro Deo, Eccleſiæ, ſcholæ, pauperibusq; ſuccurrite! Omnia ad majorem Dei gloriam, nolite quæſo coram porcis has margaritas projicere.* Iterum atque iterum *Valete*, & æque boniq; conſulite hoc meum monitum. Proficiſcitur id à tali homine, qui ſe veſtrum omnium fatetur ſervum, & pedes veſtros oſculari, calceamentaque purgare paratus; Vivite felices ô Beatæ animæ, & abſtinete aulis illis principum, in quibus non pietas, timor Domini & juſtitia regnant.

Autor [illegible] adeptus.

Aulæ principũ, in quib⁹ non regnant pietas & juſtitia, fugiendæ & vitandæ.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA!

POST-

POSTLOQVIUM.

ET ita, annuente divina gratia! huic tractatui finem imponimus; quod si cum hoc conferatur noster *Cato Chemicus* An. 90. hujus seculi *Hamburgi editus*; claret quam pulchrè philosophorum Elixir cum Theologiæ orthodoxæ Mysteriis symbolizet, & bellam quandam analogiam in se recondat. Verum, ut antea omnino monuimus; illa symbolizatio ita instituenda, sacro Scripturæ Sacræ i.e. Spiritus Sancti dictamine. Etiam sciendum est, horum mysteriorum Theologicorum veritas & apodixis non dependet, vel deducenda est ex chemiæ, utut illa suis etiam firmis innitatur principiis, Experimentis, vel rationis ratiociniis, sed potius simplici fide amplectenda sunt ista mysteria. Cum mysteriis sublimioribus Theologicis ita comparatum est,

Castè pie comparatio illa instituenda.

ut non egeat vel opus habeat testimonio humano, quæ sunt Spiritus Sancti Effata & Decreta, humanum intellectum longissimè transcendentia, eoque infinito modo sublimiora. Si autem quis dicat, nos mysteria cum non ente comparare, non ens est Lapis philosophicus, istum allegamus ad Cap. VI. *hujus opusculi*, ex quo luce meridiana clarius elucet, hoc magisterium revera & indubitato existere. Qui ejus loco concentrationem auri fingunt, graviter hallucinantur; quorum argumenta confutavimus alibi, vide nostram *appendicem apologeticam operi nostro de auro in calce junctam*. *Magnus Pegetius* in suo *Thesauro* p. 139. 140. se quoque negantibus hunc lapidem associat, quod mirer in tali viro. Econtra *Gassendus Epistola* ad *Helmontium* meliorem de hoc Magisterio docet sententiam: *Nihil necesse est, adjiciam, ait, circa Elixir Lapidemve philosophorum. Qualiscunq; etiam præsumatur beata illa substantia, & ut possi-*

Concentratio auri nulla.

Gassendi testimonium de Lapide philosophorum.

possibilem ipsius præparationem ultro concedam. &c. Sicque variant, & discordes sunt autores in Lapide philosophorum asserendo & negando. Hæc scribenti mihi oblatus est nummus chemicus, quem dono obtinuit meus Honoratissimus D.D. collega *Waldschmid*, in cujus uno latere triangulus, in cujus medio signum Solis, *s*) ab uno latere trianguli character Martis, ab altero signatura Lunæ, Triangulo superimminebat signum Saturni, cum anno 1680. Alteri lateri numismatis erat inscriptum: *Saturnia Regna.* H.R. Verum non immorabor diutius recensui harum historiarum, jam enim antea isto labore defunctus sum. Ob materiæ autem affinitatem, reique præstantiam huc inseram illa, quorum mentionem feci in nostro quatuor Epistolarum fasciculo, in Epistola 2. ad *illustrem Academiæ nostræ Leopol-*

s) Nummus ex auro chemico. Vide Excell. D. D. Raiheri tractatum doctiss. de nummis & auro chemico.

Historia prima. *dinæ Telamonem. Ad quendam Magnum Europæ nostræ Principem transmissam esse Epistolam literis* (si excipiam has, mitte hoc sigillum M. j. in plumbi libram, & in aurum illico mutabitur) *vacuam, cui instar sigilli macula inerat, quæ erat materia Lapidis Philosophici, vel aliqua portio Lapidis istius divini.* Et in Epistola ad Generosissimum & Perillustrem Dn. D. Academiæ Leopoldinæ Præsidem dictum *Celsum*, hæc legitur

Historia secunda. historia. *Quidam Studiosus Lutetiæ Parisiorum aliquot ante annis calluit artem liquefaciendi adamantem; hic fragmenta & adamantum segmenta fictili indidit, adjecto pulvere, paulo post, segmenta illa in unum satis grandem coaluerant adamantem.* In Epistola, quæ inscribitur Nobiliss. & Excell. Dn. D. *Thessalo*, quoque aliquod magnum Naturæ miraculum narratur. *Notum enim est, quod detur magnes ferrum attrahens, ut nihil nunc dicam de Magnete, qui aurum attrahit, sibique inseparabiliter unit. Sic & Experientia & hominum*

indu-

industria nunc detexit magnetem, qui adamantem nativum attrahit: Magni nominis Vir (Burrhum volunt fuisse) *cuidam Magnæ Reginæ obtulit adamantem artis beneficio factum, nativo haud absimilem; ad eum cognoscendum accersetur gemmarius, hic apposuit inter utrumque aliquod minerale, hoc nativum ad se attraxit, artificiali intacto relicto.* Has historias commemoratione dignas huic postloquio insererem, operæ pretium arbitrabar. Talia enim artis admiranda opera ab oblivionis fato sunt vindicanda. Esse forsan aliquot *Aristarchos*, qui hæc & similia negant & rident, vel serio, vel simulato, ut adigant Adeptos hi ad fidem ipsis faciendam, hæc idque genus coram ipsis experimenta faciant; Ast non moventur, illaque naturæ arcana à Deo ipsis revelata sibi servant, ac in hac Dei benignitate sibi plaudunt, & gratulantur. Istis etiam ita uti sciunt, ut Dei honorem, proximi salutem nunquam non promoveant. Deus etiam novit

Historia tertia.

Adepti arcana sibi servant

hic suos; illorumque clypeus & valde magna merces sit, apprecor. Adeptorum autem, ut hoc quoque paucis adjiciam, diversi perfectionis sunt gradus; Primum gradum occupant & tenent *fratres Roseæ crucis*, quorum Sanctissima Societas per orbem dispersa est; non tamen temere se prodit vel manifestat; *t*) non tamen temere se prodit vel manistat; quod ad istarũ religionem attinet, invariatæ Augustanæ Confessioni addicti sunt, nec ab ea vel latum discedunt unguem. Circumferuntur multa sub eorum nomine Scripta, verum hactenus sub suo Roseæ crucis nomine nihil ediderunt, vel edent. Scripta, quæ hoc nomine superbiunt, non sunt fratrum Roseæ crucis, sed aliorũ, qui hoc nomine suis scriptis autoritatem consiliare conati sunt *u*). His, in.

t) Societas Roseæ crucis. In ipsa Societate dantur gradus.

u) Fratres Roseæ crucis non sunt Weigeliani aut fanatici, sed reapse Lutherani vel Evangelici; cujus testimonia evidentia dari possent, si opus foret.

inquam, fratribus patet aditus ad intima naturæ myſteria. Non morabor judicium Theologic. Theologorum Leidenſium, quod judicium accipiendum eſt de falſis Roſeæ crucis fratribus, minime de veris, ut *qui ſunt Dei dilecti*. x) Pro iis *Flud*, Anglus Apologema conſcripſit, verum hic autor ſuo hoc Apologetico ſummam quidem promeruit laudem, procul autem abeſt ab iſtius Societatis cognitione. *Michael Majerus* in ſuo *ſilentio poſt clamores* quoque ſe iſtius Societatis defenſorem ſtrenuum præſtitit, ipſe quoque adeptus ultimo factus eſt. Aſt multo ſudore, labore hunc attigit felicitatis portum. Sunt quidem Adepti, qui metallorum transformationem callent, aſt cum adhuc ſublimiora dentur Naturæ Myſteria, ad ea iis non conceditur acceſſus. Sicque diverſi ſunt gradus adeptæ philoſophiæ, longum foret iſtius Philoſophiæ Myſticæ œconomiam

x) Apologemata pro Societate Roſcæ crucis.

miam deſcribere, quam alibi, II
V. commemorabo. Sicque hum
diſcurſum, quo hoc meum obſi
gno opuſculum, claudo. Vale
Fave, L.B. *Meliora tibi dare liceat*
Dabit DEUS!

Kiliæ, Ann. 1695. die
II. Februar.

Soli DEO Ter Optimo Maximo
Gloria!

F I N I S.



